DE

NOMINIBUS SPIRITUS SANCTI AETERNIS

TRACTATUM DOGMATICUM

SCRIPSIT

ADOLPHUS BUSE,

PRESBYTER, S. S. THEOLOGIAE LICENTIATUS.

MOGUNTIAE,

SUMPTIBUS KIRCHHEMII, SCHOTTI & THIELMANNI.

1 8 4 3.

SOLI SAPIENTI DEO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

QUAS

AMPLISSIMAE MONASTERIENSI THEOLOGICAE FACULTATI

PRO RECIPIENDO IN S. THEOLOGIA LICENTIATUS GRADU

OBTULI,

HUMILI ANIMO DONO ATQUE CONSECRO.

Praefatio.

De nominibus Spiritus sancti aeternis disputaturi opus haud leve atque juvenilibus viribus paene dispar suscepisse multis videbimur; verum, si quid juvante Deo profecerimus, certe multis fructuosum. Quaestio enim in illa versatur theologiae parte, quae, quamquam fundamentum caeterarum, oculorum nostrorum intuitum ita effugit, ut extrema tantum lineamenta et discrimina animadvertere, et aegre concepta aegrius verbis depingere et explanare possimus. In hac inexplicabili Trinitate Spiritus sanctus majoribus tenebris offusus latet, neque subtilissima investigatione ejus natura explorari potest, Deo ita disponente, ut quae persona nobis ex affectu et effectu maxime nota sit, ea intellectus subtilitatem praecipue fugiat, ne *fidei* auctor atque inspirator scientiarum vel definitionibus comprehendi vel distinctionibus includi posse videatur. Verumtamen multis adjuvamur auxiliis: divino sacrarum Scripturarum sermone; Ecclesiae sententiis atque decretis; SS. Patrum, quos diligenter secuti sumus, disputationibus, expositionibus et meditationibus; denique eodem Spiritu, de quo sermonem instituere nobis proposuimus, qui adest unicuique, auxilium ejus humiliter imploranti. Hujus benignissimi Spiritus lumine confisi rem difficilem aggressi sumus et perfecimus.

« De nominibus Spiritus sancti » tractatum nominavimus, quoniam naturae et indolis cujusvis rei nomen signum atque indicium est, nomineque conceptus singula elementa comprehenduntur et exprimuntur; secuti praeterea Dionysium Areopagitam, qui « de divinis nominibus » eximium librum composuit. Nominum dum alia ex internis relationibus, alia ex tempore, ut signaculum, unctio etc. Spiritui sancto conveniunt, ab illis haec sejunximus, ne tractatus immodice producatur, quum aeternam Spiritus proprietatem fusius explicare nobis in animo fuerit. Quod quidem eo ordine instituimus, ut cujuslibet nominis natura ac definitione accurate descripta, a nomine ad rem conversi, hujus cum illo convenientiam explicaverimus ac postremo rationes adduxerimus, cur tertiae SS. Trinitatis personae prae caeteris attribuatur, ad quem finem tota disputatio est ordinata.

Aliquibus fortasse quaesita nimis et altius petita haec quaestio videbitur. Verum ubi primum ferventius de Spiritu sancto ab haereticis disputari et a Patribus clarius et accuratius disseri coepit, etiam de nominibus Spiritus sancti quaestio est instituta. Obiter a Dionysio delibata, parvis dein initiis a Didymo Alexandrino educta, uberius a Basilio et Gregorio Nazianzeno tractata est. Neque Latini Patres defuere. Inter omnes S. Augustinus, humilis ille atque profundus rerum divinarum scrutator, multa de ea acute et pulchre scripsit, quem S. Ambrosius antecessit, S. Fulgentius secutus est. Irruentibus tum temporis barbaris litterae in reconditis Ecclesiae adytis sese absconderunt, donec Carolus Magnus eas in Ecclesiam et imperium, pristinae dignitati restituta, reduxit. Eodem tempore disputatio de Spiritu sancto redintegrata; attamen neque Alcuinus aut Lanfrancus, nec, qui inter Graecos haud multo post sancte ac fortiter rem catholicam propugnabat, Damascenus Joannes S. Augustinum vel acumine vel profunditate aequarunt, nedum superarunt. Undecimo tandem saeculo exeunte quum inter Latinos et Graecos lugendum illud schisma repetitum in dies augeretur; Anselmus, alter Augustinus, vestigia Hipponensis episcopi premebat, ac multa scitu digna contra Graecos ore et scriptis protulit. Exinde et Scholastici et mystici profundius rem explicare aemulabantur: Thomas, Scotus, Hugo et Richardus a S. Victore, Bonaventura et Bernardus, quamvis profecto mirandum, neminem eorum hanc quaestionem a caeteris divisam et primo principio repetiisse et toto ambitu circumscripsisse atque plane exhausisse. Singuli singula afferunt, quae componenda posterioribus, ut videtur, reliquerunt.

Quum autem morem a majoribus acceperimus, studiorum primitias dilecto alicui offerre: meusque amor in coelis sit; propterea hunc libellum, quem pro obtinendo Licentiatus gradu facultati illustrissimae Monasteriensi obtuli, soli sapienti Deo, cujus amore opus inceptum, cujus auxilio confectum, pro tantis beneficiis, quibus me indignum famulum suum per totam vitam cumulavit, grato et humili animo donavi atque consecravi. Illi honor et gloria in saecula saeculorum!

Scripsi Paderbornae in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli MDCCCXLII.

Corrigenda.

Pag. 6. lin. 30. pro: *distincta a praevia electione* lege: *distincta praevia electione.*

Pag. 18. lin. ultima pro: *S. Aug.* Trinit. VII. 14. lege: *S. Aug.* Trinit. VII, 4.

Pag. 21. Not. 4) pro: Serm. de Divers. I. XXXIX. lege: Serm. de Divers. LXXXIX.

— — Not. 5) pro: *S. Aug.* Trinit. VI, 15. lege: *S. Aug.* Trinit. VI, 5.

— — Not. 7) pro: Trinit. VI, 15. lege: Trinit. VI, 5.

Pag. 32. Not. 2) pro: *Epiphan.* Haer. XXX. c. IV. n. 7. lege: Haeres. LXXXIV. n. 7.

Quum nomina, de quibus dicturi sumus, divina, non solum Spiritui sancto, verum etiam Deo trino conveniant, tota disputatio, necesse est, ut in duas partes dividatur. In prima videndum est, quae sit illarum denominationum vis et natura, et quomodo de Deo uno dicantur. Hoc quasi fundamentum totius operis. Quum vero Divinitas ratione prior sit personis, et universale atque commune singulis praecedat (vix enim nominalistam nostris temporibus inveniri puto; immo vero nostri philosophi universalia tantopere amant, ut omnia confundentes paene individua tollant): recte prius de Deo et de nominibus in communi dicitur. In altera parte de iisdem nominibus, cur tertiae SS. Trinitatis personae proprie conveniant, sermo uberius instituetur.

PARS PRIMA.

De nominibus Spiritus sancti, in quantum toti Trinitati sunt communia.

Ut rei natura ex una notione ad alteram deducamur, primum de Deo Spiritu tractabimus, quod nomen ad naturam divinam maxime spectat; dein ad bonitatem progrediemur, quae est tanquam media inter Spiritualitatem et Sanctitatem; postremo, quae sit hujus ratio ac potestas, excutiemus.

§. 1.

De Deo Spiritu.

Prima haec quaestio in duas partes dividitur: inquirendum est enim, quaenam sit ratio nominis Spiritus, collati cum caeteris Dei attributis; tum, quid significet nomen ipsum.

I. Deum spiritum credimus [1]), scimus et nominamus, et si ita dixerimus atque absolutum eum esse addiderimus, notionem Dei, quantum humano intellectui licet, accuratissimis verbis ex-

1) Deus est spiritus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate adorabunt *Joan.* IV, 24. Egregiam hujus loci interpretationem vid. ap. *Hilarium* de Trinit. lib. II. n. 31. *Ambros.* de Sp. S. III, 2. (ed. Paris. 1661. Tom. IV.)

pressimus. Est enim haec notio omnium attributorum ratione prima et quasi fons et origo omnium. Plurima theologorum pars, Dei naturam definiens, ens perfectissimum nominat, quam quidem dictionem etsi non plane rejicimus, tamen ne omnino comprobemus, multis rationibus prohibemur. Est enim omnium quidem conceptionum, quas humana mens formare potest, conceptus entis universalissimus, sed quo universalior et abstractior, eo obscurior. Si ens logicum et formalem conceptum dixeris, nulla ipsi vis subest, neque quidquam dixisti; si realem vel metaphysicum, et ita quidem hanc notionem omnium proprietatum principium esse nego. Vel enim eo Deus perfectus est, quod perfectum *ens* est, vel eo, quod ens perfectionibus est praeditum, quae ab ipso sunt diversae. Si illud, quod rectius dici potest, non habes, quomodo ex ente perfectiones deducas; est enim ens notio simplicissima; si vero ens et perfectiones distinguis, quamvis formaliter tantum, principium tibi quaerendum est, ex quo proficiscitur perfectionum numerus et distributio. Et si contra dixeris: Metaphysicos conceptu entis bonitatem, veritatem et realitatem [1]) comprehendi affirmare, vides, vel et istas notiones inanes esse, vel, ut penitus intelligantur, Spiritus notionem exposcere. Si vero Deum perfectissimum Spiritum nominaveris, perfectissimum nomen, quod illius naturae maxime consonum sit, ipsi imposuisti. Nam perfectior est existens, quam ens, vivens, quam existens, spiritus, quam vivens, neque conclusionibus cum Anselmo efficere debes, illum existere, quoniam ens perfectissimum. Spiritus enim denominatione eum in se et per se subsistere et simul, viventem se ipsum, ut loquitur S. Augustinus [2]), vitam agere immarcescibilem indicamus; et, cum veritas in eo maxime consistat, ut conceptio cum rei natura sit congrua, verissime de Deo spiritus vocabulo utimur, quo impavide uti licet; quamvis Deus intellectum nostrum longe excedat, et sit, ut a quibusdam dictum est, simul ὑπερούσιος et ὑπερπνευμάτικος. Nam cum esse *Deum* et *Spiritum* aequale sit, cum Spiritualitate et Deitatem expressisti. Hoc enim interest inter hominem et Deum, quod hic Spiritus est, homo Spiritum habet; hoc inter Angelos et Deum, quod Angelorum essentia in Spiritu consistit, Spiritualitas autem Dei in essentia, cum sit Deus actus purissimus et simplicissimus, ut praeclare Scholastici loquuntur.

Praeterea omnia, quae ratio, ut quaedam notio prima systematis sit, exposcit, huic nomini convenire certum est. Est enim primum principium *materiale*, seu substantia et fundamentum, cui omnia attributa inhaerent et cujus unitate omnia colliguntur et comprehenduntur; dein neque principium *formale* tibi deest,

1) Animadvertendum, *S. Bonavent.* Breviloq. P. I. c. VI. p. 11. in unitate, veritate et bonitate cujusvis rei, quas notiones Aristoteles primais posuit, SS. Trinitatis similitudinem invenire.

2) Conf. III, 6. n. 10.

quum perfectionum divinarum infinitum pelagus vel intellectui, vel voluntati, vel denique essentiae (quae quidem ratione tantummodo differunt) attribuere et ita singulas perfectiones recta ratione et justo ordine ex unitate quadam conceptionis deducere possis. Postremo SS. *Trinitatis* doctrinam hoc solum modo perfecte explicare potes, si contemplatus *spiritualem* Dei naturam, vitam ejus internam investigaveris [1]), et propterea non sine causa de Trinitatis tertia persona tractantes, illius notionis vim primo investigamus, ex qua doctrina de *uno* et *trino* Deo profluit.

Duplicem hoc nomine de Deo opinionem rejecimus, primam Hegelii, qui illum ex ente rationis, quod quidem nihil esse asserit (olim nihil *privativum* nominabatur), sensim emergere dicit et per categoriarum seriem, quae se ipsas destruunt et negant, et ope principiorum, quae nulla sunt, tandem ad culmen Spiritualitatis evehit; et alteram Schellingii, qua olim asserebat, esse indifferentiam quandam inter Spiritum et materiam causam primam, quam chaos Spiritus et Materiae atque cogitationum chaos rectius appellasset.

II. Ratione itaque Spiritus, si hoc attributum cum caeteris comparatur, explicata, superest, ut videamus, quae sit natura Spiritus divini. Verum quum Deum in hac vita tantummodo in aenigmate per speculum videre liceat, imaginem ejus investigemus necesse est, ut ex eo prototypi aliquam notitiam acquiramus. Est autem Spiritus divini imago humanus Spiritus, totius naturae atque hominis nobilior pars; qui a materia plane diversus et intellectu et voluntate praeditus totius mundi dominus a supremo Domino est constitutus. In hoc maxime Spiritus et humanus et angelicus a caeteris creaturis differt, ut causa sit libera et sui compos omnium modorum, in quos substantia ejus effluit [2]). Nam tria illa naturae genera causa extrinseca moventur aut trahuntur, atque naturae legibus et inde necessitati inserviunt. In conscientia igitur, vel ut S. Augustini vocabulo utar, in memoria et libero arbitrio natura hominis posita est. Ut imaginis ratio completa sit, ducem ac rectorem toti homini Deus intellectum seu mentem imposuit, qua divinis intenta potissime cum Deo unimur [3]).

1) Omnibus philosophiae disciplinis opus est, ut recte de Deo disputetur; neque logica, nec psychologia, nec metaphysica, nec ontologia *sola* hoc efficitur. Hic praeter obcaecatum cor unicus omnium de Deo errorum fons est, quod philosophi magna ex parte ejus naturam una animi facultate cognoscere et una disciplina adjuti exponere se posse arbitrantur. Christianus, quem eundem verum philosophum antiquissimi Patres vocabant, per fidem amore formatam ad Deum accedit, credens, quia est et illuminatur vultu ejus et in lumine Dei videt lumen; si vero philosophica de eo inquisitio instituitur, omnibus philosophiae partibus omnibusque animi viribus utitur ad veritatem perfecte cognoscendam et cognitam recte exprimendam.

2) Cf. *Tertull.* adv. Marc. II, 4. *Lactant.* de opific. Dei n. 16.

3) Mens — notitia — amor *S. Aug.* Trinit. IX, 14. Memoria — intel-

Verum si in his signum SS. Trinitatis animadvertimus, tamen unitatis essentiam et spiritualem naturam non invenimus. Dicendum est itaque potentiarum illarum unitatem esse spiritualem animum, qui omnibus operationibus subest, neque ulla exhauritur, in quo omnes facultates quiescunt, donec ipse eas in actum elicuerit; illud πνεῦμα, quod orat, dum mens sine fructu est I Cor. XIV, 14., illud ἐγὼ Rom. VII, 15—18., quod legi consentit, neque tamen, quod vult, bonum facit, de quo egregie Greg. Naz. in morb. Carm. XIX. (*Gall.* VI. p. 447.):

Ἦν, ἦν, ὅτ' ἤνθουν, ἀλλὰ νῦν εἰμ' ἄχλοος,
οὔτε πρὶν ἤρθην, οὔτε νῦν κατεστάλην.
Ἀνθεῖν ἀπανθεῖν, ἄλλο, οὐκ ἄλλος δ'ἐγὼ [1]),

quod aliquando S. Scriptura cor appellat, et de quo S. Augustinus: „Cor meum inquietum est, donec requiescat in te.“ In hac animi profunditate unius essentiae divinae imago invenitur, ut S. Bonaventura [2]) exponit. In illam descendendum, ut ascendamus. Haec quidem peccatis vulneratur, non tollitur, igne inferni aduritur, non exuritur. Hic Spiritus mentis nostrae est renovandus Eph. IV, 23. Matth. XIII, 15., ut novum hominem induamus Col. III, 5—9. Rom. VI, 1—15. Hoc prophetamus (ex parte) I Cor. XIII., ibi lucifer oritur II Petr. I, 19., eo Christus excipiendus Rom. XIII, 12—14., hic habitat per fidem Eph. III, 17. Non enim tardavit, sed cucurrit Dominus noster, clamans dictis, factis, morte, vita, descensu, ascensu, clamans, ut redeamus ad eum. Et discessit ab oculis, ut redeamus ad cor et inveniamus eum [3]).

Invenimus igitur in speculo Dominum, qui ipse est spiritus (II Cor. III, 17 [4]), neque imaginem solam, ejus verbo perfectam, verum ipsum, in quo vivimus, movemur et sumus, et qui in nobis manet, sicut nos in ipso; qui excelsior coelo, profundior inferno, longior terra, latior mari Job XI, 8., est in coelo sursum, in terra deorsum Deut. IV, 29., super omnes et per omnia et in omnibus Eph. IV, 16., non longe ab unoquoque nostrum Act. XVII, 27.; qui antequam fiant, omnia novit Dan. XIII, 42., omnia corda scrutatur et universas mentium cogitationes intelligit I Paral.

---

ligentia — voluntas X, 10., quam XV, 2. evidentiorem explicationem vocat, quam primam. — Memoria — consilium — voluntas. *Fulgent.* Trinit. c. VII. p. 562.

1) Cf.: τὸ μὲν κατ' εἰκόνα φύσει δέδοται ἡμῖν καὶ ἀμετάβλητον ἐξ ἀρχῆς καὶ εἰς τὸ τέλος συμπάρεστι· τὸ δὲ καθ' ὁμοίωσιν ἐκ προαιρέσεως καὶ οἴκοθεν κατορθοῦμεν ὕστερον. (Pseud.) *Basil.* de struct. hom. Or. I. n. 20. cf. ib. praecip. num. 7. *Caesar.* Dialog. III. Interr. 155. 160. 165. *Zeno* Tract. lib. II. Tract. XIX.

2) Lib. I. Sentent. Dist. III. P. II. a. I. Q. 1.

3) *S. August.* Conf. IV, 12. n. 19. cf. Conf. V, 2. et Joan. XIV, 19.

4) *Hilar.* de Trinit. II, 32.

XXVIII, 9. Ps. CXXXVIII, 3—13., qui, quodcunque voluit, fecit Job. XXIII, 13. secundum consilium voluntatis suae Eph. I, 11. Dan. IV, 32., qui miseretur, cujus miseretur et misericordiam praestat, cujus miseretur Rom. IX, 5., cujus voluntati quis resistet? Infinita enim distantia Spiritus divinus ab humano disjungitur. Ille est omnino simplex, homo compositus triplici compositione: ex essentia et facultatibus, ex substantia et modis, ex materia et forma; ille omnino liber, homo Deo fabricatori suo et post deplorandum primorum parentum lapsum et peccatis et miseriae subjectus; ille aeternus et infinitus, homo certis limitibus circumscriptus[1]).

Haec de Deo Spiritu satis dicta videntur; nos enim, qui vix scintillam luminis aut brevissimae lucernae lumen aspicere valemus, pauca tantummodo de claritate et splendore solis edocere potuimus[2]).

Si Spiritum Deum cognoverimus, prope quidem ad Christianae veritatis intellectum accessimus, nondum autem plane exhausimus. «C'est donc, dicit non minus pie, quam eleganter Fénélon[3]), c'est donc, o mon Dieu, ne vous point connaître, que de vous regarder hors de nous, comme un Être tout puissant, qui donne des loix à toute la Nature, et qui fait tout ce que nous voyons; c'est ne connaître encore qu'une partie de ce que vous êtes, c'est ignorer ce qu'il y a de plus merveilleux et de plus touchant pour vos creatures raisonnables. Ce qui m'enlêve et ce qui m'attendrit, ce que vous êtes le Dieu de mon coeur.» Videndum itaque, qua ratione S. Scriptura Deum charitatem esse affirmet[4]) et tractandum:

§. 2.
De Deo bono.

Non minus ardua haec quaestio, quam praecedens; nam quis est, qui splendorem solis retibus capere, in canistro ignem conservare, et amoris naturam philosophicis distinctionibus dissec-

---

1) Cf. *Tatian.* Or. contr. Graec. n. IV. *Clem. Alex.* Fragm. IV. (*Gall.* tom. II. p. 159.). *Titus Bostrens.* contr. Manich. I, 9. *Joan. Damasc.* Fid. Orthod. lib. I. c. VII. p. 130. Scholastici in I Sent. D. VIII.

2) *Origen.* Περὶ ἀρχ. l. I. c. 1. n. 5.

3) Nondum te, Deus, cognovimus, si extra nos te contemplati fuerimus, ut omnipotentem, qui leges universae rerum naturae praescribit et qui, quaecunque conspicimus, facit: cognovimus quidem ex parte, quid es, verum ignoramus, quod maxime miremur atque animos creaturarum tuarum ratione ornatarum moveat. Mentem commovet, blandit et mollit, quod Deus cordis mei es. De la necessité de connaître et aimer Dieu. Oeuvr. Spirit. I, 8.

4) I *Joan.* IV, 16.

tam possit ostendere, quam profecto nemo, nisi qui sentit, intelligit. Vix nobis praemonendum videtur, non de inordinato amore sermonem esse, cui homines dediti sunt, qui Christum deseruerunt et passiones propriae carnis sequuntur, sed de spirituali illo, qui solus in Deum cadere potest.

I. Est igitur amor complacentia boni, sive propensio appetitus in bonum. Est primus motus voluntatis, omnium reliquorum affectuum principium et radix, omnibus ad omnia ingenitus, ut Platonicus ille Phaedrus ait. Est vehemens et bene ordinata voluntas, ut docet Guillelmus Abbas [1]. Est vis animae naturali quodam pondere ferens eam in finem suum juxta illud: Amor meus pondus meum, illo feror, quocunque feror [2]. Est connexio et vinculum, quo rerum universitas ineffabili amicitia et insolubili unione copulatur, ut ex hymnis Hierothei magnus Dionysius Aeropagita commemorat [3]. Est circulus sempiternus, fine et principio carens propter bonum, ex bono, in bonum et ad bonum indeclinabili conversione circumiens, in eodem, et secundum idem et procedens semper et manens et remeans. Quidquid in sacris literis, quidquid in libris Sanctorum continetur, aut amor est, aut pertinet ad amorem [4]. Tres amoris gradus annotat S. Thomas [5] et sequens eum S. Bonaventura [6].

Amor dicit simplicem inclinationem affectus in amatum, unde etiam quandoque passionem dicit, in quantum est in parte sensitiva, et sic amor etiam in irrationalibus invenitur. *Dilectio* autem praesupponit electionem, sicut nomen ipsum ostendit, unde tantum rationabilium est. Sed *Charitas* ponit quandam vehementiam dilectionis, in quantum dilectum sub inaestimabili pretio habetur, quamobrem res multi pretii carae dicuntur. Diversa est itaque, si D. Thomam sequimur, *charitas* ab amore et *vi affectus*, qui illam comitatur, et *distincta a praevia electione*, quae amori proprie dicto deest [7].

Quamvis autem charitas amorem longe antecellat, ejusdem tamen est naturae et rationis; et significat affectum, quo in rem movemur, cujus cum nostra natura convenientia allicimur. Res absens desideratur amore *concupiscentiae*, in praesenti requiescimus et delectamur *complacentiae* amore; si vero amati solummodo

---

1) Lib. de Amor. c. VII.

2) *S. Aug.* Conf. XIII, 9.

3) De divin. nom. c. IV.

4) *Joan. Bona* via compend. ad Deum c. XX. n. 1. p. 170.

5) P. I. D. XI. Expos. Litt.

6) In I Sent. X. Dub. I.

7) Charitas est amor honestus, qui ad eum finem dirigitur, ad quem oportet. *Hugo Vict.* Summ. Sentent. Tract. IV. c. VIII. p. 329. (t. III.). De falsa quadam inter dilectionem et charitatem distinctione vide eund. de Sacram. P. XIII. c. XII. p. 492 sq. (ed. *Garzon.*)

conditionem respicimus, amore *amicitiae* eum amplectimur, quo ducti omne illi bonum optamus, ac, si licet, conferimus[1]. Concupiscentia sui ipsius amore commota suum commodum quaerit; complacentia se ipsum et alterum respiciens in unione utriusque requiescit; amicitia alterius tantum utilitate excitata operatur. Inde elucet, Deo charitatem atque quidem amorem *complacentiae* erga se ipsum, amorem *amicitiae* erga creaturas esse tribuendum[2]. Nam se ipsum ex sua natura necessario amat, creaturas propter suam bonitatem et benignitatem; quodcunque enim in creaturis amat, illis donavit. Amor igitur, quo Deus se ipsum ex divina sua natura et essentia amat, *essentialis* vocatur[3]. Praeclare de illo Zeno Veronensis Episcopus[4]: «Tu in Patre imperas; tu tibi in Filio obtemperas; tu in Spiritu Sancto exsultas. Tu cum in tribus una sis, nullo pacto divideris, nulla humanae curiositatis calumnia commoveris. A Paterno fonte in Filio tota refunderis, et tamen tota, ubi refunderis, non recedis. Recte Deus diceris, quia Trinitatis potentiam sola convertis.» Ut autem rem altius penetremus, videtur amor esse *bonitas voluntatis*. Bonitatem (Matth. XIX, 17.) autem intelligimus perfectionem essentiae et naturae[5]. Si *bonitatem* in voluntate consideras, vel qualitatem voluntatis, sanctitatem recte nominas; si vero in natura primo et proprie, qua tanquam caussa voluntas agitur, et in quantum voluntas in natura potentialiter quiescit, seu natura in voluntatem erumpit, *amorem* et *charitatem*. Affectus itaque, qui est caussa, ut ita dicam, materialis omnium animi operationum, vel ea, quae a Latinis anima, a Graecis θυμὸς nominatur pars animi, fons est amoris in creaturis; sed minime putes, in illo proprie amorem consistere; sed amor verus circa voluntatem versatur, quamvis affectum non excludat. Obscura sane haec animi pars ἁπλῶς et καθ' ἡμᾶς; propterea ignobilior a multis philosophis censetur et Frider. Schlegel[6]) eam Deo adscribere recusat, quod et mihi probatum videtur[7]). Nos

---

1) Triplicis hujus amoris expositionem vid. ap. *Fridr. Spee* in Proleg. ad: „Trutznachtigall" simplicem, elegantem et veram.

2) Cf. *S. Bonavent.* I. D. X. a. II. Q. 1.

3) Cf. *D. Thom.* P. I. D. X. Q. I. a. 1.

4) Tractt. lib. I. - Tract. II. num. 9. (*Gall.* V, 113.) cf. eundem n. 4., ubi plura de amoris natura et num. 8 sq., ubi de terreno amore elegantissime disserit. Cf. *S. Bernard.* Epl. XI. n. 4. ed. *Mabillon.*

5) Τὴν ἀγαθωνομίαν ἐξῃρημένως οἱ Θεόλογοι τῇ ὑπερθέῳ θεότητι καὶ ἀπὸ πάντων ἀφορίζουσιν αὐτὴν, ὡς οἶμαι, τὴν θεαρχικὴν ὕπαρξιν ἀγαθότητα λέγοντες· καὶ ὅτι τῷ εἶναι τὸ ἀγαθὸν ὡς οὐσιῶδες ἀγαθὸν εἰς πάντα τὰ ὄντα διατείνει τὴν ἀγαθότητα. *Dionys.* Areopag. de divin. nom. c. IV. ed. *Corder.*

6) Philos. Vit. Praelect. III. p. 73., ubi complura scitu digna de amoris divini natura profert.

7) Cf. *Athenag.* leg. pro Christian. c. XVII. ed. *Dechair.*

quidem affectum et voluntatem in amore distinguimus: integrior amor, quo magis voluntas exercetur et caussa est commotionum animi (ordinem enim ita omnes affectus servant), vilior, ubi affectus sine voluntate et ratione rebus externis exagitatur. *Patimur* nos profecto amorem et afficimur illo, non quidem Dei amorem, vae nobis! sponte patimur; sed longa animi exercitatione ad illum deveniendum; at rerum externarum amore facile et aliquando etiam nolentes abripimur: nam corpus peccati circumferimus. Et Deum aliquando *patimur*, si in nobis regnare coeperit et vas hoc fictile gratia sua impleverit; sed amor, qui ex substantiali praesentia Dei oritur, non est furiosus et intemperans; sed mitis, castus et ordinatus, ille, de quo Apostolus I Cor. XIII. et sequens hunc Clem. Roman. [1]). Itaque non plane affectum extirpandum esse, non admodum nutriendum, in vero amore putamus.

II. Alius autem noster, alius Dei amor. Hic enim natura sua bonus [2]) et amat natura sua. *Οὐ χρὴ συμβεβηκὸς ἐπὶ αὐτοῦ λέγειν· τὸ γὰρ ἀγαθὸν σύνδρομον ἔχει τῇ οὐσίᾳ* [3]). Ipse est caussa, ex qua amat, *φύσις αὕτη τοῦ Θεοῦ, ὡς τοῦ πυρὸς τὸ θερμαίνειν καὶ τοῦ φωτὸς τὸ φωτίζειν* [4]). Nos diligimus, quoniam aliquid amabile in creaturis invenimus. Huic similis in Deo tantummodo dilectio sui ipsius; sed hoc interest, quod diligendo trinus est, et essentia sese diligit. Non caussam invenis, cur se amet; amat se enim propter Deitatem, et in Deitate amor est inclusus, idem est caussa et objectum et medium, omnia revera coincidunt, quae ratione dirimimus: credendum potius humiliter hoc mysterium, quam investigandum, ne gloria Dei opprimamur. Creaturas autem amat essentiali amore sine caussa extrinseca, nam eo, quod illas amat, bonae fiunt et amabiles. Sicuti ante constitutionem mundi nos futuros praescivit, et quoniam nos praescivit, ideo sumus, scientia igitur illius extrinseca caussa non est commota; ita et nos amat, ut simus et tales simus; et sumus tales, quoniam nos amavit: ut sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat, ita se Spiritus coelestis infundit [5]).

«Sa misericorde tout la même n'est autre chose, que sa pure volonté: il nous a aimé avant la création du monde, il nous a vu, il nous a connu, il nous a préparé ses biens, il nous a aimé et choisi dès l'éternité. Quand il nous arrive quelque bien nouveau, il découle de cette ancienne source. Dieu n'a jamais de volonté

---

1) I Cor. 49. ed. *Cotelier*. Cf. de Imitat. Christi l. III. c. V.

2) *Tertull.* adv. Marc. II, 3. (ed. *Rhenani* Paris. 1568.)

3) Non decet per accidens aliquid de ipso praedicare; bonum enim in essentia insitum ipsi est. *Joan. Damasc.* Fid. Orth. I, 9. p. 150. ed. *Le Quien*.

4) Natura haec Dei est, sicuti ignis, calefacere, atque luminis, illuminare. *Clem.* Strom. I, 8. p. 312. ed. *Sylburg*. Cf. *Dionys. Areop.* de divin. nom. c. IV.

5) *Cyprian.* Epi. II. ad Donat. p. 9. Cf. *Clem.* Strom. II. p. 302.

nouvelle sur nous, il ne change point, c'est nous qui changeons [1]).» Et si aliquando audacius nobis loqui fas est, se ipsum Deus in nobis amat et nos Deo Deum amamus. Destruuntur hoc Dei amore rationis leges, repellitur superbiens animus, qui caussam ubique postulat, regnat amor sine caussa humili tantummodo notus, qui amori animum dedit. Cur mater infantem amplectitur, permulcet, osculatur? Nescis caussam, et ego nescio. Mater est, sufficit. Attamen etsi mater lactentis oblivisci posset, Deus populi sui non obliviscitur. O altitudo bonitatis Dei, o profunditas misericordiae, quam fides contemplatur, et ingemiscit et cogitationibus imparem se profitetur. Qui amat, cognitus est et cognoscit magnitudinem charitatis, qua Deus dilexit et diligit mundum: intellectus nunquam excogitare, nunquam comprehendere hoc divinae charitatis mysterium poterit [2]).

III. Quamvis amor in mundi conditione praeclare se manifestaverit, nam *ὁ ἀγαθὸς καὶ ὑπεραγαθὸς Θεὸς οὐκ ἠρκέσθη τῇ ἑαυτοῦ θεωρίᾳ, ἀλλ' ὑπερβολῇ ἀγαθότητος εὐδόκησε γενέσθαι τινὰ τὰ εὐεργηθησόμενα καὶ μεθέξοντα τῆς ἑαυτοῦ ἀγαθότητος· ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παράγει τὰ σύμπαντα*, ut verbis utar S. Joannis Damasceni [3]); excellentiori tamen modo in redemptione apparuit: nam in mundi constitutione ex nihilo nos fecit, in redemptione ex corruptis integros, ex malis bonos, amicos ex inimicis; majorem vero dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis Joan. XV, 13., attamen, quid dico, non pro amicis, sed pro impiis, cum adhuc peccatores essemus Rom. V, 6—10., Christus pro nobis mortuus est, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste I Petr. II, 23., factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Philip. II, 5—12. Profecto Apostolus nihil se scire inter Corinthios profitebatur, nisi Christum et hunc crucifixum, sed sciebat supereminentem scientiae charitatem Christi et impletus erat in omnem plenitudinem Dei Eph. III, 19. Stultitia quidem Gentibus crux, non enim possunt intelligere, quia spiritualiter examinatur, ipsi autem sunt animales et veritatem in injustitia detinent. Sapientiam fal-

1) Misericordia ipsius nihil est, nisi voluntas! Ante creationem mundi amavit nos, vidit, cognovit, praeparavit nobis sua bona, amavit et elegit nos ex aeternitate. Si nobis aliquid novi prospere accidit, ex hoc antiquo fonte decurrit. Deus nunquam novum de nobis consilium fingit: non ille mutatur; nos mutamur. *Fénélon* Oeuvr. Spirituell. I, 3.

2) Vide, quae Card. *Bona*, Via Compendii ad Deum c. III. p. 110. praeclare de mystica Theologia loquitur.

3) Ter quaterque bono Deo non contento sui ipsius contemplatione propter supereminentem bonitatem placuit, ut fierent, quibus benefaceret et quae participia ipsius bonitatis essent. Propterea ex nihilo omnia, ut sint, creat. Orthodox. Fid. lib. II. c. 2.

sam quaerunt et magistrorum nomen et gloriam diligunt, Crucifixus autem Christus quaerit fidem et amorem, ut sit nobis Dei virtus et Dei sapientia. Ne quis enim glorietur, ex ore infantium et lactentium laudem suam perfecit. In Christo, in quo omnis plenitudo Divinitatis, etiam amoris divini characterem clarissime perspicimus, et profecto, nisi me propositum urgeret, libentissime aliquantulum in *Jesu* nostri amoris contemplatione immorarer; factus est enim etiam mihi Dei virtus et Dei sapientia. Atque sicuti Christus nos gratuito omnino amore prosequebatur [1]), ita Christiani *Jesum* sequentes non solum amicos diligunt; ita enim et Gentiles et Pharisaei sese gerebant; verum etiam inimicos et persecutores, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes I Petr. III, 9., attamen eos debito amore prosequuntur, cum creati omnes et redempti sint sanguine Christi et ejus legibus, quarum finis charitas est, obstricti. Amant igitur propter Christum; Christus ex natura sua amabat, in quantum Deus erat, quamvis in quantum homo voluntati Patris obtemperaret [2]). Ipsius morte, qui pro nobis peccatum factus est, Deo reconciliati Deum Patrem nominamus, ut sit amoris vinculum inter creatorem et creaturam in novo testamento firmum et indissolubile.

Charitas quum maxime in essentia versetur, in quantum in voluntatis actum procedit, non sine caussa Deum Charitatem appellasse Joannem arbitror. Nam essentiale quodammodo hoc nomen, sicut illa Spiritus denominatio, si attributa ratione in essentialia et qualitativa (me barbarnm esse aliquando oportet, ut intelligar) dividis.

A charitate ad Sanctitatem progressus vere nullus, cum non solum affines, sed etiam cognati vel consanguinei, ut ita loquar, sint duo illi conceptus.

Itaque nihil morantes dicemus:

§. 3.

De Deo Sancto.

Duplex nobis via patet, qua, quae sit Sanctitatis vis et natura, investigare possimus. Vel a creaturis ad creatorem ascendendum,

---

1) Hoc inter *gratuitum* et *debitum* amorem discrimen velim ut sibi lector notet, ut locum *Rich. a S. Vict.* (Trinit. VI, 14.), quem infra citabimus, intelligat.

2) Ex hac amoris notione omnia colligere licet, quae de eo Apostolus I. Cor. XIII exponit; imprimis autem *sinceritas,* quae vix unquam in naturali amore invenitur. Atque intelligere inde possumus, quid sibi effatum illud Salvatoris nostri velit, solum infantem in regnum coelorum intrare posse. Quomodo amorem benignitas, lenitas, misericordia sequantur, non est, cur explicemus.

vel a Creatore ejusque natura ad creaturas declinandum est. Prima tutior videtur, nam familiaris magis et nota nostroque intellectui pervia sunt terrena, quam aeterna. Si itaque ex illis radios aeternae veritatis collegimus, facilius ad coelestia ascendemus, quorum cognitione illuminati creaturarum iterum ordinem et naturam acriori mentis acie perspicimus.

I. Quidam igitur, qui ad naturam corruptam et mores inde surgentes omnia referre consueverunt, sanctitatem opponunt vitae, quae nec magnis sceleribus contaminatur, nec virtutum excellentia et ornatu splendet, sed aequo fluxu, nec Spiritu divino tacta, nec malis angelis exagitata decurrit. Inde eximios quosdam homines sanctos ducunt, qui a communi hominum conditione omnino diversi res miras, magnificas et summa laude dignas gerunt. Ita quidem populus innocens, pius et credulus. Alii autem vitae austeritatem intuentur, quam Sanctos sectari compertum est, et poenitentiarum varia genera enumerant menteque revolvunt, quibus sese subjiciunt, atque sanctitatem in eo versari putant, ut homo corpus castiget et in servitutem redigat, non solum ab illicitis, verum etiam a licitis voluptatibus se abstinens, ab hominum commercio se separet et duram omnino vitam sequatur. Quamquam multi nostris temporibus hujusmodi homines Daemonium habere dicunt, quemadmodum Judaei Joannem Matth. XI, 18., tamen melior pars hoc vitae genus magni aestimat; errat autem, si in eo sanctitatem consistere putet. Primi, de quibus nobis sermo fuit, praemia sanctitatis sanctitatem falso nuncupant, hi media requirendae sanctitatis sanctitatem, licet rectius quam illi, tamen non ut res postulat, appellant.

II. Est vero sanctitas, ut verbis Bonae utar[1]), ab omni labe libera et omnino perfecta et omni ex parte immaculata puritas. Si enim res omnes ex mistione pejoris et inferioris sordes contrahunt et polluuntur, ut argentum ex mistione plumbi, vestis aspersione luti; ita anima impura fit et immunda, cum rebus infimis adhaeret, nec prorsus pura et sancta esse potest, nisi a cunctis rebus creatis avulsa sit. Consistit igitur sanctitas in omnimoda puritate et in immobili cum Deo unione, quae arctissimo amoris nexu perficitur; cum expurgata anima ab omni rubigine terrenorum affectuum, cunctisque rebus celsior, eam justitiae perfectionem adepta est, ut vere et secure audeat dicere cum Apostolo: quis me separabit a charitate Christi?

Ut vero distinctius sanctitatis notitiam perspiciamus, oportet ut cum justitia, quae cum ipsa arctissime conjuncta et definitu facilior est, eam conferamus. Justitia igitur est convenientia voluntatis cum recta ratione, quae sive lumine naturali, sive divino adjuta normam agendi rectam conspicit; et proprie designat absentiam peccati, etsi eximia desit virtus. Jus et officium perpendit,

---

1) Princip. Vit. Christian. §. XLIX. p. 101.

legem servat, debita perficit. Inde justum judicem appellamus, qui quamlibet partem aeque tractat, et hominem justum, qui neminem laedit et Deo tribuit, quod Dei est, et homini, quod hominis. Justitia si erga Deum exercetur, obedientiam vel rectitudinem dicimus, si erga homines, justitiam proprio nomine appellamus. Propterea Apostolus: Vix enim pro justo quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori. Rom. V, 7. Sanctitatis autem praecipua vis in charitate sita est, quae est omnium virtutum fundamentum [1]). Conjuncta enim *cum justitia charitas* efficit sanctitatem. Mixta propterea ex justitia et charitate sanctitas mixtum ex *timore* et *amore* reverentiae affectum ex intuentis animo elicit: si vero *omnipotentia*, quae et ipsa ad voluntatem spectat, cum sanctitate copulata fuerit, *adoratio* eam creaturarum sequitur. Inde cultus latriae Deo et cultus duliae Sanctis debetur. Negativa, ut ita dicam, conditio sanctitatis absentia est carnalis libidinis; quae quoniam maxime est conspicua, sanctum et castum eundem eodem sensu nominamus [2]). *Sanctitas est ergo justitiae perfectio.* Haec sine illa aliquando esse potest, illa sine hac nunquam. Sanctitas magis ad interiorem hominem refertur, justitia ad exteriorem; illa ad aeterna, haec ad temporalia bona; ad Deum illa, haec ad homines. Sanctitas a bonitate et benignitate disjuncta nunquam, justitia saepe invenitur. Si itaque ex iis, quae hactenus diximus, sanctitatem, qualis Deo convenit, definire velimus, dicendum: *esse eam charitatem, ab omni labe et defectu puram, conjunctam cum inviolabili Deitatis majestate* [3]).

III. Deus autem *sua* sanctitate sanctus est, quam nec aliunde accepit, nec unquam amittere potest, in qua omnis creaturarum sanctitatis fons situs est. Bene Caesarius, cujus ingenium et pietatem semper miratus sum [4]): Οὐκοῦν εὖ ἔφην, μὴ ὅροις ὑπο-

---

1) *Eph.* I, 4. *Rom.* XIII, 10. I *Cor.* XIII, 13.

2) Sanctum = 1. *mundum* (emundatio a peccato per gratiam), 2. *firmum* (confirmatio in bono per donum gratiae aut gloriae), 3. *accomodatum* ad usum *divini* cultus *D. Thom.* P. I. D. XV. Q. V. Art. 1. Sanctitatem contrarium immundi et sordium definit *S. Bernard.* Serm. III. in Pent. n. 5. p. 942.

3) ἁγιότης μὲν οὖν ἔστω ἡ παντὸς ἄγους ἐλευθέρα καὶ παντελὴς καὶ πάντῃ ἄχραντος καθαρότης. *Dionys. Areopag.* De divin. nomin. c. XII.

4) Recte igitur dixi, finibus non includi virtutem; quod enim terminis distinguitur, virtus non est. Virtus autem perfectum, immensum, infinitum, sine quantitate et qualitate, omni perceptione superius, divinum illud, inquam, primum ac proprie bonum. Cujus natura bonitas est, infinita virtus. Igitur nullus praeter malitiae contrarietatem virtutis terminus; non autem contrarium in divinum atque infinitum cadere potest. Qui vero virtutem Dei sectatur, ipse illius particeps fit; est enim omnibus numeris absoluta virtus; quae finis est omnino expers. Dial. III. Interr. 171. Quamvis bene sciam, multos criticos censere, hos Dialogos non a Nazian-

κεῖσθαι οἰκείοις τὴν ἀρετήν· τὸ γὰρ πέρασι διαλαμβανόμενον οὐκ ἔστιν ἀρετή. ἀρετὴ δὲ τέλειον, ἀπέραστον καὶ ἀόριστον, ἀμεγέθητε καὶ ἄποσον, πάσης καταλήψεως ὑπέρτερον, τὸ θεῖον φημι, τὸ κυρίως καὶ πρῶτον ἀγαθόν· οὗ ἡ φύσις ἀγαθότης ὑπάρχει ἡ ἀπέρατος ἀρετή· ἐπεὶ οὖν οὐδεὶς ἀρετῆς ὅρος πλὴν κακίας ἀντιπαραθέσεως, ἀπαράδεκτον δὲ τοῦ ἐναντίου τὸ θεῖον καὶ ἀόριστον. (Si Hegelium audis, nihil invenitur in coelo et in terra, cui sui contrarium non inhaereat; et ita ille Christum cum Belial intima necessitate conjungit.) Ὁ δὲ τὴν ἀρετὴν μετιὼν πάντως Θεοῦ καὶ αὐτὸς μετέχει· αὐτὸς γὰρ ὑπάρχει παντελὴς ἀρετή· τοῦτο δὲ ὅρον οὐκ ἔχει.

Nos quoque nihil pretiosius invenimus, quo Deum praedicare possimus, nisi ut sanctum appellemus. Quodlibet aliud inferius Deo, inferius est Domino [1], et omnium *perfectionum summam*, in quantum creaturis apparet, sanctitati comprehendi arbitramur. Sicut pulchritudo non est aliqua qualitas absoluta in corpore pulchro, sed aggregatio omnium convenientium tali corpori, scilicet magnitudinis, figurae et coloris et aggregatio omnium respectuum, qui sunt istorum ad corpus et ad se invicem; ita bonitas moralis actus est quasi quidam decor illius actus, includens aggregationem debitae proportionis ad omnia, ad quae debet actus proportionari, scilicet ad potentiam, ad objectum, ad tempus, ad finem, ad locum, ad modum, et hoc specialiter, ut ista dicantur a recta ratione debere convenire actui. Ita Scotus [2]) de bono actu; eadem de sanctitate ipsa dici possunt, esse illam omnium perfectionum divinarum quasi *legem* et *ordinem* et omnes includere, sive inter se, sive cum rebus creatis contuleris. Propterea Seraphim illi amore ardentes clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. Jes. VI, 3. cf. Apoc. VIII, 8. [3]).

IV. Inter hos Angelorum cantus gradum ultimum facimus: Est essentia in divina natura cum qualitate eadem. Deus sine *bonitate* bonus. Itaque essentiam bonitas (notio metaphysica)

---

zeni Gregorii fratre compositos esse., tamen ut ipsi adscribam, multis caussis iisque non levibus compellor. Cf. *Origen.* Hom. XI. in Num. n. 8. p. 310. ed. *De la Rue.*

1) *S. Ambros.* Trinit. III, 18. p. 267.

2) I Sent. D. XVII Q. III.

3) Sanctitatis manifestatio gloria Dei (δόξα τοῦ θεοῦ) nominatur: lumen illud admirabile I Petr. II, 9. et inaccessibile I Timoth. VI, 16., quod Deus, Pater luminum Jac. I, 17. inhabitat, cujus candor pastores circumfulsit, quum Dominus natus esse illis ab Angelis annuntiaretur, et Dominum, quum transfiguraretur. Hoc lumen D. Paulum prostravit et obcaecavit. Est quidem lumen purissimum elementum. Hanc luminis cum sanctitate comparationem jam instituit *Dionys. Areop.*

immediate sequitur, quamvis essentiam intellectu prius concipiamus quam bonitatem. Si *attributum hoc metaphysicum ad voluntatem refertur*, sanctitas inde emergit. Bonum ideo vel benignum vel sanctum (virtutibus praeditum) nominamus et ita ex eodem fonte metaphysico et amorem et sanctitatem (vid. §. praeced.) deduximus. Ulterius progredi non licet, neque verbum neque cogitatio invenitur, quibus amplius rem explicare possimus. Si invenimus, ut puto, notitiam, rem nostram bene egimus; sin minus, infirmitati ingenii adscribendum est, cujus acies eo magis hebescit et retunditur, quo propius ad veritatem accedit; tandem autem aliquando est a quaerendo quiescendum. Est enim sanctitas pari modo terminus voluntatis, uti veritas intellectus; et ita simplex quaedam notio, quae difficilior est definitu, quam veritas[1]. (Quidam nostrum has notiones ideas, praeeuntibus priscis philosophis, innatas et ducunt et nominant.) Nam quae ad intellectum spectant, facilius intelligere et explicare possumus, quam, quae vel in anima vel in voluntate versantur. *Sentimus* ista quidem, ita ut a caeteris omnibus perceptionibus discernere possimus, raro autem accurate evolvere possumus.

V. Ne vero de modo sileamus, quo Sanctitas nobis innotescit: conscientia, quae est, ut ita dicam, ἀκμὴ Spiritus et Voluntatis, cui Deus leges suas sanctissimas impressit[2], eam percipimus. Vulgus vocem Dei conscientiam appellat, neque immerito; quamvis enim Deus naturae nostrae leges ita insculpserit, ut si eas homo spreverit, moerorem et anxietatem incurrat, si secutus fuerit, laetitia fruatur; tamen Deus ipse, qui in nobis habitat, conscientiam vel compescit, vel exagitat, ut sit tanquam organon, quo ad significandam nobis suam voluntatem utitur[3]. Intellectu igitur dum Deum esse et Spiritum esse cognoscimus, conscientia sanctum esse certi reddimur, atque ea quidem certitudine, quae evidentia a multis appellatur, non ratiocinationibus effecta, sed immediata perceptione (experimur enim Deum sanctum), cui intellectus fide illuminatus succurrit. Clarius hac apperceptione, quid sit sanctitas, innotescit, quam longa et difficili speculatione.

VI. Quamvis sanctitas haec ipsa nunquam in Deo mutetur, sed semper quoad Deum eadem sit, tamen prout nos vel in me-

---

1) Neque falso bonitatem *veritatem voluntatis* dixeris, quemadmodum veritatem *bonitatem* intellectus. δικαιοσύνην et ἀλήθειαν S. Scriptura saepissime conjungit.

2) *Rom.* II, 14—16.

3) Divinitus arguitur, quando divina inspiratione jam tactus animus conscientiae propriae accusatione confunditur, et quasi contra faciem propriam praevaricatrix anima statuitur, quando in foeditatis suae consideratione contra semetipsum per increpationem servire videtur. *Richard. a S. Victor.* de erudit. interior. hom. c. XXII. p. 65. P. I. (ed, Rothomag.)

lius vel in deterius abimus, et ipsa aut amoris aut justitiae speciem prae se fert, sicut lux infirmis oculis aspera, firmis lenis est, ipsorum scilicet mutatione, non sua [1]. Si culpa depressi a Deo removemur, apparet nobis ut magnus et terribilis; propterea cum inter fulgura et tonitrua legem in Sinai daret (Exod. XX, 19.), Israelitae perterriti ac pavore concussi procul steterunt, dicentes Moysi: Loquere tu nobis, et audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Cf. Judic. XIII, 22. et Judic. VI, 22. 23. Et Moysi: Ne appropinques, inquit Deus, huc; solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est. Exod. III, 5. Et abscondit Moyses faciem suam, Deum enim aspicere non audebat. Nam cum peccato timor servilis sese sociavit. Cum enim peccato recenti polluti audirent parentes nostri vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, absconderunt se a facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Genes. III, 8. Nec jam homo propinquum Deum ferre, nec Deus contaminatum peccato hominem tolerare potuit, sed iram contra eum vertere oportuit, qui timorem debitum abjecerat. Propterea occisus est Osa, quia manum ad arcam Dei extendit. III Reg. VI, 6 [2]).

Ideo sanctum et terribile nomen Domini etiam in populo, quem sibi in haereditatem elegit. In hoc autem eximie illius sanctitas elucebat et remunerando (Ez. XXXVI, 22. XX, 41. XXXIX, 27.) et puniendo (Ez. XXVIII. Num. XX, 13.). Timor igitur sanctitati huic inviolabili in antiquo foedere debebatur et offerebatur. Illi moriendum esse existimabant, qui Deum viderit, nos vidimus verbum vitae et manibus contrectavimus, neque mortui sumus; sed ipse Christus pro nobis mortuus est et mortem captivam duxit, et nos vivimus illius morte. Ipse se sanctificabat pro nobis, holocaustum immaculatum se offerens Deo, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, atque omnibus, qui longe sunt et qui prope, pacem evangelizavit, quoniam per ipsum accessum habemus ambo in uno Spiritu ad Patrem. Filiis irae Deus tremendus judex, Sanctis pater amans et amabilis; bonum enim Deus odisse nequit. Et ita amor ex *Jesu* morte perfectus timorem expellit, et terror charitati cedit.

Jam inquisitioni, quae est de essentialibus attributis, finem imponamus. Fundamenta jacta sunt, quantum potuimus, firma et solida, ne aedificium, robustis fulcris carens, in altum eductum corruat. Ut vero notiones attributorum, de quibus hucusque tractavimus, quam brevissime comprehendamus: *Spiritum* centrum animi, *amorem* connexionem essentiae (vel substantiae)

---

1) *S. Aug.* Trinit. V, 16.

2) Gloria Dei (δόξα τοῦ θεοῦ) vetus Salomonis templum ut *nebula* implevit. III *Reg.* VIII, 11.

cum voluntate, *sanctitatem* voluntatis terminum et perfectionem naturalem diximus. Hoc igitur minime nos fugere potest, tria illa attributa potius ad *voluntatem* spectare, quam ad intellectum.

Protinus itaque ad alteram totius disputationis partem progredientes, quomodo haec attributa essentialia proprie ad Spiritum Sanctum, tertiam sanctissimae Trinitatis personam referantur, inquiramus.

PARS SECUNDA.

De aeternis tertiae SS. Trinitatis personae nominibus, in quantum ei proprie conveniunt.

Essentialia attributa, ut sapientia vel bonitas, singulis personis appropriantur; quae quamvis tribus communia sint, tamen propter modum originis vel propter effectum temporalem uni prae ceteris conveniunt. Sunt enim illa nobis magis nota, quam personarum propriae et ex relationibus mutuis petitae denominationes. Nam cum *rerum universitas* a Deo uno sit creata, similitudines quasdam unius Dei et essentiae divinae in illa expressas invenimus et quasi umbram aeternae lucis et partem infinitae bonitatis per rerum ordinem effusam conspicimus, licet in rebus singulis simul et in universalibus cogitationibus seu categoriis atque in tota mundi machina cum unitate trinitas copulata videatur. Quo propius autem singulae res creatae ad Deum accedunt, eo clarius Trinitatis vestigium in illis deprehenditur; immo hac similitudine accuratius expressa ad Deum propius accedunt. Ideo et in rebus sensibus objectis unitatis attributa resplendent: veluti omnipotentia, sapientia, pulchritudo, et in anima tanquam in speculo SS. Trinitatis imago firmioribus lineamentis depicta apparet; unde mentem ad immutabilem Trinitatem convertentes personarum proprietates distinguimus atque perlustramus; et per *similitudinem* essentialium attributorum, quorum accuratiorem notitiam ex rerum visibilium natura et ordine collegimus, appropriationis aliquam caussam invenimus et hac ratione mysterium intellectui nostro manifestius reddimus. Denique ex historiae varietate Trinitatis distinctio elucet, quoniam in temporis successu Filius et Spiritus sanctus se manifestaverunt, et, quamlibet intime sociati, distincti in operibus conspiciuntur, sicuti proprietatibus diversi naturae unitate arctissime colliguntur. Axioma igitur illud vulgare: „actiones suppositorum", verum esse et nostra inquisitione probatur: etenim ex operibus singularum personarum distinctionem clarissime intuemur. Itaque ad historiam veluti alteram Dei manifestationem nobis accedendum est, ut invisibilia Dei intellecta conspiciantur. Hanc vero rerum seriem et spiritum nostrum ipsam contemplantem Deus revelationis radiis illuminat, ne obscuritate rerum perturbati vel

oculorum hebetudine praepediti a recto veritatis tramite declinemus. Haec de iis, quibus ad cognoscendas Personarum proprietates ex essentialibus attributis perveniamus [1], dicta sufficiant.

Difficilis autem est de Spiritus sancti proprietatibus ac nominibus disputatio, nam inter divinas processiones illa, quae est per modum amoris, obscurior nobis est, neque *proprium nomen* habet. *Filius* enim relationem ad Patrem indicat, et vice versa Patris nomen ad Filium, est enim Pater eo, quod Filium habet. Quaecunque autem nomina tertiae personae attribuuntur, hujus ad caeteras personas relationem non aperte explicant atque designant. Itaque nomine *processionis* ipso *modus* processionis non denotatur et *relationes*, quae ex hujusmodi processione oriuntur, innominatae sunt. Vocatur quidem relatio principii processionis *spiratio*, relatio procedentis *processio*, sed haec duo nomina ad ipsas processiones vel origines pertinent, non ad relationes. Praeterea praeter *diligere* et *amare*, quae important habitudinem amantis ad rem amatam (et ita *essentialiter* dicuntur), non sunt aliqua vocabula imposita, quae important *habitudinem* ipsius *impressionis* vel affectionis rei amatae, quae provenit in amante ex hoc, quod amat, ad suum principium et e converso, et ideo propter vocabulorum inopiam hujusmodi habitudines significamus vocabulis *amoris* et dilectionis, sicut si verbum nominaremus *intelligentiam conceptam* vel *sapientiam genitam;* quae vocabula ex usu loquentium ad significandam divinam personam sunt accommodata [2]).

Hoc quidem ex eo oritur, quod illa animi pars, quae tertiae personae similitudinem maxime prae se fert, magis caligine involuta et ideo ad intelligendum non ita aperta est, ut intellectus. Ante peccatum enim originale diversae animi facultates sociali amicitia copulabantur, altera alteri pervia et justo ordine omnes inter se connexae. Voluntas rationem sequebatur, voluntatem intellectus; intelligere plura et magis voluntas non appetebat, quam intellectus percipere potuit; intellectus vero omnium rerum, quascunque voluntas desiderabat, notitiam ei suppeditabat. Omnia cordis desideria homo cognoscebat et varios voluntatis motus, sicuti e contrario intellectus operationes voluntas ex libero arbitrio et legibus divinis moderabatur. Cum autem contra Deum et Dominum nostrum peccavissemus, intellectus illusionibus est impletus, quas voluntas raro dispergere et repellere potest; phantasia imagines rerum falsas sectatur, congerit in memoria et inquieta semper connectit, format, discerpit, iterum componit, scurrae personam et partes agens, ut S. Theresia congrue dixit; coërcita petulantior aliquando exit, vincula indignabunda interdum frangit, et lusum et tyrannidem exercet, in ima-

1) Cf. *D. Thomas* Summ. Q. XXXIX. a. 6. *S. Bonavent.* Breviloq. P. I. cap. V. VI.

2) *D. Thomas* Summ. Q. XXXVI. a. 1.

ginariam vitam et mortem trudit. Fortior, quam humana voluntas, divina tantummodo virtute vincitur. Voluntas vero, *qua praecipue peccavimus*, et obscurioribus tenebris offusa, quippe origo peccati ira Dei et poena gravius premitur. Imaginum fallacia seducta, turbine affectuum distracta, compulsa libidinum furore, est instabilis, volubilis, subdola, fallax, captiosa, impatiens quietis, semper novarum rerum cupida, cujus varietatem quis explorare, quis perfecte cognoscere potest? Detectus est alius voluntatis dolus, in alium jam elapsa est; profecto, non acrior voluntatis inimicus, quam voluntas ipsa. Grande profundum est homo, ait S. Augustinus [1]), cujus capillos tu, Domine, numeratos habes et non minuuntur in te, et tamen capilli ejus magis numerabiles sunt, quam affectus ejus et motus cordis ejus. Verum ita est voluntas recondita, ut vix psychologicam ejus notionem explicare, nedum philosophice in illam inquirere possimus; pauca de ea dicere licet, eaque obscure, quoniam omnino fere oculos nostros fugit.

Quae quum ita se habeant, sane operae pretium est, investigare, quomodo diversa nomina de tertia SS. Trinitatis persona dicantur, quum ex nominibus bene cognitis etiam rei natura elucescat. Aggrediamur igitur, Deo auxiliante, opus nostrum. Etsi desint vires, effabilia effari (excedit enim supereminentia divinitatis usitati eloquii facultatem [2]), quum verius cogitetur Deus, quam dicitur, et verior sit, quam cogitatur), voluntatis tamen infirmitas non est spernenda, et quilibet conatus aequo animo ferendus.

Jam ut totius disquisitionis basin quandam struamus; decretis Concilii Lugdunensis et Florentini insistimus, quae Spiritum sanctum tertiam esse divinam personam, quae a Patre et *Filio tanquam uno principio per modum voluntatis procedit*, pronunciant. Argumentis hanc veritatem comprobare, nostri non est instituti. De Spiritus sancti processione Henricus Klee, magister dilectissimus, breviter, sed paene omnia collegit Historia dogmat. tom. I. p. 220 seq.; uberius de illa Natal. Alex. Dissert. XVIII. contra Photium Saecul. IX. et X.; Le Quien Dissert. Damascen. Diss. I., Bellarmin. de Christo t. II. c. XXI—XXX. et uberrime Petavius de Trinitat. lib. VII. Ita autem sermonis cursum ordinavimus, ut initium facientes ab eo nomine, in quo *proprietas* tertiae personae *aeterna* clarissime conspicitur, per seriem caeterorum tandem ad illud deveniamus, quod *respectum ad creaturas* potissimum includit. Ex aeterna itaque qualitate ordientes per ordinatam inquisitionem ad praecipuum in tempore effectum: ab amoris notione ad doni significationem sensim descendimus. Verum ne eadem pluries dicentes lectorem fatigemus, rem incipientes nihil de mutuo singulorum nominum nexu dicimus, sed ex uno ad

1) Conf. IV, 14.

2) *S. Aug.* Trinit. VII, 14.

alterum progressus necessitatem et convenientiam singulis locis demonstrabimus.

§. 1.

De tertia persona Amore.

Quum amor sit quasi sol, unde omnes caeterae tertiae personae proprietates tanquam radii exsplendescunt, ita ut hoc nomine et processionem et notionem et naturam Spiritus Sancti una voce designaveris, de illo primum dicemus. Quamquam vero, neque si Angelorum linguis utaris, digne de eo dixeris, neque, si illorum intellectu praeditus sis, ut res postulat, explicare tam absconditum mysterium poteris; nihil tamen suavius est, quam de amore divino disserere, neque quidquam utilius, quam eum corde revolvere. Virium autem nostrarum tenuitatem hic maxime sentimus et libentissime profitemur; nam magnifice solummodo de Spiritu Sancto dicitur, quando divina charitatis flamma in corde accensa totum animum pervadit, implet, et omnes animi vires *dilatat* [1]), ita ut ferendo amori anima impar in cantum erumpit, ignemque, quo repletur, dulcibus sonorum modulationibus effundit [2]), donec et has pertaesa prorsus a loquendo desistens in profundo silentio divinum amorem contemplatur. Cum igitur amoris gradu ubertas sermonis minuitur, ita ut summus charitatis ardor verbum consumat, quomodo, ut par est, de illo loquamur, qui sine modo est diligendus; et qui tamen eo clarius cognoscitur, quo magis amatur? Hunc amoris ardorem quamvis enixe precantibus nobis Deus non concessit; propterea tanquam coeci de colorum varietate, ita nos de amore Spiritu balbutiremus, si nostris verbis eum describere et explanare auderemus. Confugimus igitur ad S. Patres, qui charitate cum Deo inseparabiliter uniti, de hoc mysterio ignitis linguis locuti sunt. Et primum quidem, quid dicat ille insignis Dei amator Bona [3]) audiamus: „Si amoris originem quaeris, non te ad symposion Platonis, non ad doctas Poëtarum fabulas mittam, firmiorem enim doctrinam ab eo habemus, qui dixit: Deus charitas est et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. In ipso puro et summo bono ab aeterno Amor fuit et quasi ignis semper ardens, omnia accendens et in se transmutans. Ex eo enim, quod Deus suam infinitam pulchritudinem et excellentiam intuetur, oritur in ipso infinitum amoris incendium, quo Pater se ipsum et Filium a se genitum diligit: rursumque Filius eandem in Patrem reciprocat dilectionem, qua tantum illum amat, quantum amari dignus est, hoc est, infinitus infinite. Hic autem mutuus amor Spi-

1) *Fulgent.* ad Trasim. Reg. lib. II. c. XIX. p. 175.

2) Cf. Silbert „Dom heiliger Sänger." Lib. IV. Praef. p. 175 seq.

3) Via Compend. ad Deum c. XX. n. 2.

ritus Sanctus est, aeternus, immensus, Patri et Filio coaequalis, a Deo prodiens, in Deo manens; a quo, sicut radius a sole, omnis amor dimanat." Haec ille saucius amoris vulnere, ingrediens torrentem amoris, quem trajicere merito desperabat.

Amor autem, si *essentialiter* dicitur (de illo P. I. §. 2. locuti sumus), tribus personis communis; si *personaliter*, Spiritui Sancto proprius, si *notionaliter*, rationem processionis personae significat [1]).

Essentialiter dictus significat amor *complacentiam*, notionaliter *concordiam* in spirando, *personaliter processum* in illa concordia [2]).

Recte autem amor appellatur persona, quae procedit *ex amore*, *per* amorem, *ut* amor, *ad* amorem. Fons enim Spiritus Sancti aeternus amor, modus procedendi amor, proprietas personalis amor, effectus in creaturis amor.

I. Sicut enim ex hoc, quod aliquis rem intelligit, provenit quaedam intellectualis conceptio rei intellectae in intelligente, quae dicitur verbum; ita ex hoc, quod aliquis rem amat, provenit quaedam impressio, ut ita loquar, rei amatae in affectu amantis, secundum quam amatum dicitur esse in amante, sicut et intellectum in intelligente: ita cum aliquis se ipsum intelligit et amat, est in se ipso, non solum per identitatem rei, sed etiam ut intellectum in intelligente et amatum in amante [3]).

Necesse est autem, aliquam personam in divinis procedere per modum amoris, quia si ponatur in divinis emanatio per modum voluntatis, necesse est, ut inter omnes sit prima et nobilissima: emanatio autem per modum amoris est hujusmodi, quod patet, si ad animum humanum respicimus. Affectio enim amoris est prima inter omnes affectiones et radix omnium aliarum [4]), eaque est amoris dignitas, ut nulla vox eam, ne dicam explicare, sed nec leviter adumbrare valeat. Si ergo emanatio est per modum liberalitatis in divinis, necesse est, esse primam et summam, ergo, per modum amoris.

Est praeterea summae et usquequaque perfectae benevolentiae, omnem plenitudinis suae abundantiam in commune deducere [5]). Ubi autem in alterutra persona aequa benevolentia exstat, necesse est, voto pari, ratione consimili, praecipui gaudii consortem utraque requirat. Nam ubi se duo mutuo diligentes summo desiderio amplectuntur, et ex alterutro amore summe delectantur, summum gaudium illius est in amore istius. Quamdiu

---

1) *D. Thom.* in I. Sent. D. X. Q. I. a. 1.

2) *S. Bonavent.* in I. Sent. D. X. A. II. Q. 1.

3) *D. Thom.* Summ. Q. XXXVII. a. 1.

4) *S. Bonavent.* l. c. A. I. Q. 2.

5) *Rich. Vict.* Trinit. l. III. c. XV.

iste ab alio solus diligitur, praecipuae dulcedinis suae delicias solus possidere videtur, similiter et alius, quamdiu condilectum non habet, praecipui gaudii communione caret [1]). Dilectio quidem est, quando unus alteri amorem impendit et solus solum diligit, sed condilectio non est. Quando duo se mutuo diligunt et summi desiderii affectum invicem impendunt et istius in illum, illius vero in istum affectus discurrit et quasi in diversa tendit, utrobique quidem dilectio est, sed condilectio non est. Condilectio autem jure dicitur, ubi a duobus tertius concorditer diligitur, socialiter amatur et duorum affectus tertii amoris incendio in unum conflatur. Sic igitur *condignum* habere voluit Pater, ut esset, cui communicaret magnitudinis suae divitias; *condilectum*, ut haberet, cui communicaret charitatis delicias [2]); in condilectione enim amoris summa felicitas consistit.

Ex concordia itaque in spirando, quae in condilectum tendit, ut amor sit perfectus in trinitate amantium, Spiritus Sanctus processit. Pater enim diligit Filium et singulari dilectione amplectitur, summus aequalem, coaeternus coaeternum, unus unicum. Sed ipse non minore a Filio affectione adstringitur: quippe pro cujus amore et moritur, ipso testante cum ait: Ut sciant omnes, quia diligo Patrem, surgite, eamus (Matth. XXVI, 2.). Illa autem mutua gignentis genitique cognitio pariter et dilectio, quid nisi osculum est suavissimum, sed secretissimum [3])? quod est Spiritus sanctus [4]).

Quapropter Spiritus sanctus in eadem unitate substantiae et aequalitate consistit. Sive enim sit unitas amborum, sive sanctitas, sive ideo unitas, quia charitas et ideo charitas, quia sanctitas, manifestum est, quod non aliquis duorum est, quo uterque conjungitur, quo genitus a gignente diligatur, genitoremque suum diligit [5]).

II. Et ita Spiritus sanctus est Patris et Filii tanquam charitas substantialis et consubstantialis amborum [6]), quae si amicitia convenienter dici potest, dicatur, sed aptius dicitur charitas [7]), qua Pater cum Filio connectitur. Quid est enim amor, nisi quaedam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet et quod amatur? Quid amat animus in amico, nisi amicum? Et huic igitur tria sunt, amans, quod amatur, et

---

1) Id. l. c. c. XIX.

2) Id. l. c. lib. VI. c. 6. cf. *S. Bonavent.* I. Sent. D. X. a. 1, Q. II.

3) *S. Bernard.* in Cant. Cant. Serm. VIII. n. 5.

4) Ib. n. 2. cf. Serm. de Divers. I. XXXIX. p. 1215. (ed. *Mabillon.*)

5) *S. Aug.* Trinit. VI, 15. cf. *Alcuin.* de fid. Trinit. l. II. c. XX. (ed. *Froben.* tom. I. p. 733.), qui fere in omnibus S. Aug. sequitur, ut caeteri saecul. IX. theologi.

6) *S. Aug.* Tract. CV. in Joan. cf. Trinit. XV, 19.

7) Id. Trinit. VI, 15.

amor [1]). Propterea est Patris et Filii imperturbabilis pax, gluten firmum, individuus amor [2]).

Procedit ergo ex amore Patris et Filii et est fructus amoris, non dissimilis ipsis, a quibus processit, ipse amor: Deus est enim charitas; et est amor illorum, a quibus processit; in unitate enim Spiritus sancti Pater et Filius se invicem diligunt. Non igitur minor Patre et Filio, a quibus substantiam habet; sunt enim ambo unus per Spiritum sanctum, ac sicuti ipse subsistentiam ab illis habet, ita illi unitatem ab ipso recipiunt; caveas autem, ne Spiritum sanctum essentiam *divinam* arbitreris, sicut quidam recentium quamvis non luculenter dixerit, tamen satis aperte innuit [3]). Quum vero ex hoc amoris vinculo gaudium potissime sequatur, illa dilectio, delectatio, felicitas vel beatitudo, si tamen aliqua humana voce digne dicitur, est in Trinitate Spiritus sanctus, non genitus, sed genitoris genitique suavitas [4]), quapropter et gaudium SS. Trinitatis recte vocatur.

Verumtamen non ex hac *felicitatis* notione SS. Trinitatis mysterium explicari congrue potest, quoniam in illa origo Personarum non invenitur, sed ipsa e Personarum trinitate oritur. In explicando vero hoc mysterio omnis ad *finem aliquem respectus*, vel personarum et *libera* et quae ex indigentia et necessitate oriatur, *intentio* est respuenda. Deus finem non habet, quoniam absolutus omnibus numeris, minime in vita interna; est A et Ω; sibi ipse principium et finis. Solummodo caussa quaerenda est intrinseca, ex qua *personarum diversitas* proficiscitur. Haec autem caussa Trinitatis non praeter Personas existit, sed in personis ipsis, quum Pater sit caussa Filii etc., unde intelligendum est illud S. Augustini obscurum verbum: Patrem esse totius Divinitatis caussam [5]).

---

1) Id. Trinit. VIII, 10.

2) *S. Bernard.* in Cant. Cant. l. c. Cf. *Anselm.* Monolog. cap. L—LVIII., quem potissime ut in doctrina de incarnatione, ita etiam in doctrina de Spiritu sancto mediae aetatis scriptores secuti sunt.

3) Haud praetermittendum mihi videtur, S. Bonavent. omnia Dei *attributa* ad *Sapientiam* referre, quae mentem generantem, verbum nascens et amorem utrumque nectentem complectitur. Ex *sapientia* igitur et *qualitates unius Dei* et Trinitatis doctrinam deducit. Breviloq. P. I. cap. II. p. 9.

4) *S. Aug.* Trinit. VI, 10. cf. *Hug. Vict.* Miscell. lib. I. c. III. (tom. III. p. 92.), qui proprietatem Sp. S. in *gaudio* maxime consistere affirmat, quod ex mutuo Patris et Filii *amore* sequitur.

5) Inde vides, philosophiam ad finem suum pervenisse, ubi caussa cum caussato idem est, et caussa realis (subsistentia personalis) cum formali (conceptus *notionalis*, ex quo caussa est) revera coincidunt. Itaque *ratiocinationibus* nihil in explicanda SS. Trinitate efficitur, sed meditatione et contemplatione, quae ex fide procedit et amore nutritur.

Hucusque rem extremis lineamentis designavimus. Jam eo pervenimus, ubi quiescere paullulum nobis licet et recensere varias quaestiones, quae de modo processionis per amorem moveri solent, ut certiores progredi possimus.

Duae praecipue quaestiones ad rem nostram spectant:

Quaest. I.: Utrum procedat Spiritus S. ex mutua dilectione Patris et Filii?

Quaest. II.: Utrum procedat ex dilectione creaturarum?

Quaest. I. *Richardus Victorinus* (l. c.) concordem amorem et mutuam benevolentiam principium esse spirationis affirmat. *Scotus* vero inde sequi dicit, quod duo sint Spiritus sancti et ipse processionem ita declarat [1]): „Pater non spirat Spiritum sanctum, in quantum diligit Filium primo, nec Filius, in quantum diligit Patrem; sed Pater et Filius, in quantum habent essentiam divinam praesentem, ut objectum primum voluntatis suae. Similiter spirant, in quantum habent essentiam praesentem et non in quantum amatam actu, sed in quantum amabilem praesentatam actu intelligentiae eorum. Inde Spiritus sanctus [2]) quasi adaequatus suo principio productivo producitur, ut amor actualis.“ Huic Scoti sententiae prorsus opposita est ea *Suarezii* [3]), qui affirmat: Pater et Filius producunt Spiritum sanctum:

a) Diligendo divinitatem suam.

b) Se ipsos diligendo, i. e. unusquisque se et alium.

c) Diligendo ipsum, atque ita Spiritus sanctus etiam ex sui dilectione procedit.

d) Diligendo etiam suam spirationem activam (secundum amorem complacentiae).

e) Procedit ex amore creaturarum secundum eminentiam, quam habent in Deo.

Nos quidem neque sententiam Scoti, qui personas Patris et Filii vix in spirando respicit, neque sententiam Suarezii, qui eas nimis extollit, probamus, sed media via, ut nobis videtur, tuti incedemus. Hoc sine dubio recte contra Suarezium dici potest, produci, si relationes, quas enumerat, reales essent, totidem diversas personas. Quasdam autem relationes spirationem ipsam ratione sequi manifestum est, et inde non ut caussam constitutivam antecedere, sed consequi. Si enim Spiritus sanctus spiratione activa est, ut ab omnibus conceditur, quomodo ex *dilectione*

Hac via S. Augustinus, princeps procul dubio omnium Theologorum, ingressus est, qui in libris de Trinitate praeclare ostendit, quomodo ratio fide illuminata et divina gratia adjuta aeternas veritates scrutari possit, et interdum debeat.

1) In I. Sent. D. XII. Q. 1. p. 877. (ed. Joan. Poncii.)

2) Ib. D. XIII. Q. unic. n. 25. p. 908.

3) Tract. de Deo uno et trino in I. D. Thom. lib. XI. de Spir. S. c. 2. continuat.

hujus spirationis et ex dilectione *sui ipsius* subsistentiam recipere potest? Itaque quae necessario sequuntur, caussas Suarezius false nominat.

Verum nec cum Scoto consentimus. Si enim in unitate essentiae sese Pater et Filius diligunt, et alter in altero essentiam diligit (nam una in utroque essentia), et mutuum amorem illum nominare potes. Spirant quidem Spiritum sanctum non eo, quo differunt, h. e. Paternitate et Filiatione, sed quo unum sunt. Unum est enim principium spirationis, una eademque vis spirativa in Patre et Filio, eadem foecunditas spirandi, quam Filius sicut caetera a Patre accepit. Sunt autem duo spirantes licet non spiratores Pater et Filius. Nam non ex essentia procedit Spiritus sanctus, sed ex Patre et Filio. Amant igitur ambo essentiam, quae in ambobus una est, et amant voluntate essentiali, quae in ambobus una est. Sed amant *duo:* Pater et Filius, et amant unam essentiam in *duobus* suppositis, alter eandem in altero. Itaque *unicordem* (si ita loqui fas est) rectius quam concordem amorem Spiritum sanctum nominare licet. Quam ob caussam Pater et Filius Spiritu sancto in unitate essentiae colliguntur et hac dilectione mutua unius tertii intima societate conjunguntur. Ergo in eo consentimus Scoto, quod Pater non in Filio Verbum atque Filius in Patre Paternitatem diligendo Spiritum sanctum spirant, sed alter in altero essentiam; si autem, ut Richardum refutet, dicit: in humanis tantummodo esse amorem mutuum jucundiorem, quia praeter bonitatem essentialem redamatio est aliqua ratio diligibilitatis, aucta autem diligibilitate etiam gaudium augetur, quod in divinis poni non potest: nos quidem amorem essentialem, si duo illius participes sunt, majorem felicitatem afferre putamus, quam si per impossibile unus. Augetur enim amor, si in duobus est, per se, non per accidentem rationem amplioris diligibilitatis, quam recte in divinis non inveniri affirmat. Hanc tamen nostram explicationem probat ipse Scotus Scholio seq. n. 11. p. 881.

Differentiam ergo *primariam* processionis Spiritus et generationis Filii, unde caeterae differentiae deducantur, in eo statuendum esse arbitror, quod Filius ab uno, Spiritus a duobus exit. Omnia in Deo unum, praeter relationes, alioquin unitas Dei tollitur, neque Trinitas servatur[1]). Pulchre Bossuetius[2]): „Rien n'est plus beau, que la nature divine, où le nombre même, qui ne subsiste, que dans les rapports mutuels de trois Personnes égales, se termine en une parfaite unité.“ Scotum non sequor, dicentem, consistere principem differentiam in eo, quod Filius

1) Clarissime hoc inter omnes primus *Caesar.* Dial. I. Interr. 3. praeeuntibus Greg. Naz. et Basil.

2) Sermon sur l'unité de l'Eglise: Nihil pulchrius divina natura est, quum numerus ipse, qui nonnisi in relationibus mutuis personarum aequalium consistit, in perfectam unitatem terminatur.

intellectu, hic voluntate prodit; licet enim et hic respectus non omnino nullus, tamen secundarius. Nam si eum unum esse dixeris, vix effugere potes, differentiam realem inter voluntatem et intellectum statuere, quemadmodum Scotus sine ulla dubitatione falso statuit. Itaque D. Thomas [1]), quidquid Scotus contradicat, recte pronunciavit, Spiritum sanctum, si non esset a Filio, nullo modo ab eo personaliter posse distingui.

Huic nostrae opinioni minime historia adversatur. Scriptura enim sacra clarissime dicit, Spiritum sanctum exire a Patre, mitti a Filio; itaque exitum a duobus designat, non autem aliam rationem affert, qua haec processio a generatione differat, scilicet, quod haec intellectu, illa voluntate caussetur. Primis autem Ecclesiae temporibus Patres modum Processionis non scrutatos esse certum est, sed ineffabilem eum pronunciant, de quo nihil certe sciri potest, nisi quod non est generatio. Simili modo adeo Greg. Nazianzenus et Basilius, contra Macedonianos rem catholicam agentes loquuntur et vocabulo ἐκπέμψεως simpliciter quemdam actum designant, cujus naturam sese ignorare profitentur. Non itaque contra nostram opinionem objici potest, primum *voluntate* Spiritum sanctum processisse Ecclesiam *expresse* professam esse, dein autem, illum a duobus exire, et propterea elucere, illum respectum esse ratione primum. Constat enim, a Graecis de modo processionis nonnisi obscure dictum esse et hoc usque ad S. Joannis Damasceni tempora, qui et ipse differentiam generationis a processione non clare exposuit. In Latina autem Ecclesia post Tertullianum (qui exitum a duobus satis aperte indicat) S. Augustinus, quem Deus benignitate sua vocaverat, ut praeter gratiae doctrinam hoc praecipue grande mysterium purgata poenitentia mente et illuminatis a Deo oculis intelligeret, non minus *exitum a duobus*, quam per voluntatem exprimit, quod potissime ex libris IX. et X. de Trinitate videre licet. Nihil igitur contra nos historiam agere, immo favere nobis arbitror [2]).

Non tam magnis difficultatibus implicata est II. *Quaestio:* utrum Spiritus sanctus ex amore creaturarum procedat? Pugnandum est enim potius contra reconditas dictiones, quam falsas sententias.

Cum omnium creaturarum perfectiones in essentia divina per eminentiam sint, Deus se amans, et creaturas amat, sed hoc *translate* solummodo dicitur; qui enim sic loquuntur, creaturae nomine nihil aliud exprimunt, quam creaturae perfectiones, quae in Deo ut prototypo inveniuntur. Verum amor creaturarum, ut mere *possibilium*, in Deum non cadit. *Possibile* enim ex nostro intellectu et rerum creatarum natura dicitur; Deus vero, qui semper idem est et cui exinde nova scientia accidere

---

1) Summ. Q. XXXVI. a. 2.

2) Rejicienda omnino illa Leibnitzii explicatio, qua Pater intellectivum, Filius intelligibile, Spiritus sanctus intellectio vocatur. *Leibnitz.* Opp. tom. I. p. 14. cf. p. 27. (ed. *Dutens.*)

nequit, cognoscit creaturas et amat amore aeterno, ut actu sunt certo tempore. Itaque non ut possibilia amat, sed ut existentes certo quodam tempore, quod illis pro sua voluntate destinavit. Ergo amor creaturarum possibilium principium processionis Spiritus sancti esse nequit, quum Deus creaturas ut possibiles non amet. Amor autem creaturarum tribus personis communis est, quamvis alicui approprietur, et ita proprietatem primo et principaliter unius personae denotare non potest.

Si praeterea ex hoc amore Spiritus sanctus procederet, in relationes aeternas et essentiam divinam respectus temporalis, qui est contingens, inferretur, et ita Deus neque aeternus esset, nec infinitus, nec necessarius:

„Nulla persona, egregie disserit Scotus [1]), constituitur in esse personali per aliquem respectum ad creaturam, nec aliqua proprietas personalis dicit respectum ad creaturas; immo, quidquid est intrinsecum in divinis, sive absolutum, sive respectivum, in quocunque *esse*, sive reali, sive intelligibili, abstrahit ab omni respectu ad creaturas, et est prius quocunque *esse* creaturae. Ita, quod si per impossibile vel incompossibile, nihil aliud a Deo posset esse in aliquo *esse*, nihilominus esset in Deo, quidquid sibi convenit ad intra secundum quodcunque *esse* essentiale vel personale: quia prius intelligitur tota Trinitas in esse personali secundum quodcunque *esse*, quam creatura intelligitur secundum aliquod *esse*, quia quodcunque esse attribuitur creaturae, *sive reale*, *sive diminutum*, *illud est a tota Trinitate* [2]).“ Si itaque D. Thomas aliquando [3]) de relatione creaturarum ad Deum trinum obscure loquitur, tamen rem egregie q. XXXVII. a. 2. declarat:

„Pater non solum Filium, sed etiam se et nos diligit Spiritu sancto, quia diligere, prout *notionaliter* sumitur, non solum importat productionem divinae personae, sed etiam *personam productam* per modum amoris, qui habet *habitudinem ad rem dilectam*. Unde sicut Pater dicit se et omnem creaturam Verbo, quod genuit, in quantum Verbum genitum sufficienter repraesentat Patrem et omnem creaturam; ita diligit se et omnem creaturam Spiritu sancto, in quantum Spiritus sanctus procedit, ut amor *bonitatis primae*, secundum quam Pater amat se et omnem creaturam. Et sic etiam patet, quod respectus importatur ad creaturam et in Verbo et in Amore procedente, quasi *secundario*, in quantum scilicet veritas et bonitas divina est principium intelligendi et amandi omnem creaturam.“

Ex illis, quae diximus, collegimus: Spiritum sanctum *proprie* non procedere ex amore creaturarum, appropriari autem illi hunc

---

1) In I. Sent. D. XVIII. Q. unic. p. 1003. cf. p. 1001.

2) Cf. quae P. I. §. 2. a. II. de amore diximus.

3) Summ. Q. XXXIV. a. 3.

amorem, quoniam ut amor primae bonitatis procedit; ergo translate tantummodo dici posse, eum procedere ex amore creaturarum, quum hic amor minime sit principium ipsius constitutivum.

Jam e montium asperis et spinosis regionibus in planitiem campi securi descendamus, ut iter inceptum, levi aliquantulum ingenii ludo indulgentes, pergamus.

III. Amor igitur Spiritus sanctus dicitur, ne inferior Filio putetur, a quo omnia habet, quae habet; amor enim nobilior, quam Verbum vel Sapientia, quibus nominibus Filius denotatur. Ita per *dissimilitudinem* nomen amoris Spiritui sancto appropriatur.

Similem Hugo Victorinus [1]) rationem affert: „Dictus est Pater, qui de sua substantia Filium genuit, et erat in his similitudo, scilicet ne putaretur Pater prior filio, sicut semper in omnibus est, et nunquam aliter esse potest, nisi Pater Filium antecedat. Propterea *potens* dictus est Pater, non quod solus erat, quia potens erat et Filius et Spiritus sanctus; sed solus dicendus est potens, quia de ipso solo magis dubitari potuit, quasi de priore et antiquo et annorum numerositate defecto. Et dictus est Filius *sapiens*, non quod solus erat, sed quia de ipso solo magis dubitari poterat, quasi posteriore et aetate adhuc immatura et sensu imperfecto. Idcirco dictus est Pater potens, ne putaretur prior Filio, Filius sapiens, ne credatur Patre posterior et Spiritus sanctus bonus sive benignus, ne crudelis existimaretur Deus et consternatur ad eum conscientia humana, si ipsum habere diceretur Deus et non additum fuisset: benignus, quoniam Spiritus per se rigorem quemdam signare videtur et crudelem denotare.“ Haec acuta sane et ingeniosa Hugonis ratio ad hominum omnino rudium opinionem corrigendam composita est, et ita non magni illam habemus. Libentius autem refero, quae cap. XXVII. p. 369. de imagine Trinitatis in animo humano delineata disserit, ut ex inferiore imagine, in qua nobis familiaris natura nostra ipsa quasi interrogata respondet, mentis aciem ab illuminata creatura ad lumen incommutabile dirigamus [2]).

„Simulacrum (sc. animus), quo inventa est Trinitas summa, et ipsum similiter trinitatem praeferebat quasi vestigium quoddam et imaginem ineffabilis Trinitatis, et in ipso hoc ita erat, quoniam in mente rationali quasi potentia quaedam et vis quaedam erat, et ex ea natus est intellectus, qui solum sapientia ejus erat: et sine ipso mens sapientia non erat, et processit novissime amor sive gaudium mentis ad sapientiam suam et ipse solum dilectio erat, quoniam sine ipso in mente et sapientia dilectio non erat [3]).

---

1) De sacrament. lib. I. P. III. c. XXVI. p. 369. cf. P. II. c. VIII. p. 361. Summ. Sent. tract. I. c. X. p. 303. D. *Thom.* Summ. Q. XXXIX. a. 8.

2) *S. Aug.* Trinit. IX, 12.

3) Quomodo voluntas in Deo naturaliter fertur in generationem, neque tamen τυραννηθεὶς, quemadmodum Eunomiani blasphemabant, egregie *Greg. Naz.* Or. XXIX. (theol. III.) n. 6. Idem de vi spirativa dicendum.

Primum cognoscimus, cognitum amamus; voluntas solum intellectu illustrata et mota in actum procedit[1]). Ita processio generationem ratione sequitur.

Cum autem potentia Patris aliud non sit, quam ejus essentia, neque sapientia Filii aliud, quam ejus essentia, neque amor Spiritus sancti aliud, quam essentia ejus, necesse omnino est, ubi una est essentia, unam esse potentiam et unam sapientiam, et dilectionem unam et communem esse et totam esse et proprie esse et aequaliter esse[2]).

Sed Pater potentia est et nullius potentia est, quia a nullo est, dilectio est Pater et nullius dilectio est, quia a nullo est. Filius autem potentia est et potentia Patris, quia a Patre est, Spiritus sanctus dilectio est et dilectio Patris et Filii est, quod a Patre et Filio est."

Signum Spiritus sancti in exterioribus[3]) utilitatem nominat, quod ex Hilario, qui muneri usum appropriat, desumpsit; utrumque vero propter bonitatem, quae proprium est Spiritus sancti, dictum esse affirmat S. Bonav.[4]). Scotus[5]) *ordinem* Spiritus sancti opus et manifestationem praecipue esse dicit.

Verum ista in transcursu leviter tantummodo tetigimus, quum ad rem nostram proprie non spectent; non omisimus, ut haec quaestio plene esset cumulateque perfecta.

IV. Summa itaque Charitas est Spiritus sanctus, Filium et Patrem conjungens, verum etiam nos subjungens[6]), ex inimicis nos amatores, ex tepidis ardentes efficiens, quam ab causam juste amor appellatur, qui per totam rerum naturam ignem amoris large diffundit. Filius quidem nomen Patris notum nobis et fecit et sine intermissione facit, ut dilectio, qua ipsum Pater dilexit, in nobis sit et ipse in nobis Joan. XVII, 26. Nemo autem potest dicere *Jesus*, nisi in Spiritu sancto. I Cor. XII, 13. Per hunc, qui datus est nobis, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris Rom. V, 5., qua plenus exclamabat Apostolus (Rom. VIII, 34—39.):

---

1) Mira profunditate *de amore S. Augustinus* Trinit. l. IX. et X. scripsit, qui libri tam gravibus sententiis sunt referti, ut excerpere eos non possimus.

2) Si Deum trinum credimus, unum quoque credamus necesse est. Nam ut Deus trinus esse possit, oportet omnia attributa, quae Deo uni adscribimus, adsint. Praecipue autem infinitas Dei in Trinitate conspicua est, sine qua omnino impossibilis est, quamvis haec eadem menti divino lumine non illustratae per diversitatem personarum tolli videatur. cf. *S. Bonav. Brevil.* P. I. c. II. p. 9. (tom. VI.)

3) *Hugo* Summ. Sent. tract. I. c. X. p. 304. de Sacram. lib. I. P. II. c. XII. p. 362. P. III. c. XXVIII. p. 370.

4) Breviloq. P. I. cap. VI. p. 11.

5) P. I. D. III.

6) *S. Aug.* Trinit. VII, 3.

Quis nos separabit a charitate Christi? neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque creatura aliqua poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo *Jesu*, Domino nostro. Ipso juvante praecepta Salvatoris servamus et manemus in dilectione, sicut et Christus *Jesus* Patris sui praecepta servabat et in ejus dilectione manebat. Joan. XV, 10. Eam enim charitatem accepimus, ut filii Dei nominemur et simus I Joan. III, 1. et in hoc scimus, quoniam manet in nobis Deus, de Spiritu, quem dedit nobis III, 24. IV, 13. In spiritu igitur clamamus: Abba (Pater) Rom. VIII, 15. 16., cogniti a Deo I Cor. XIII, 3. et nati ex Deo et cognoscentes Deum I Joan. IV, 7. Spiritum enim adoptionis accepimus Gal. IV, 6., in quo et fratres diligimus Rom. XV, 30. II Cor. VI, 6. Rom. V, 5. et diligentes in lumine ejus manemus I Joan. II, 10 [1]).

Cum enim hic Spiritus spiritum rationalem intrat, ipsius affectum divino ardore inflammat, et ad proprietatis suae similitudinem transformat, ut auctori suo amorem, quem debet, exhibeat. Nam omnis amor ignis est, sed ignis spiritualis. Quod autem facit corporalis ignis circa ferrum, hoc agit hic ignis, de quo dicimus, circa cor foedum, frigidum et durum; et ad hujus ignis immissionem animus humanus omnem nigredinem, frigiditatem, duritiem paullatim deponit et totus in ejus, a quo inflammatur, similitudinem transit [2]). Quum ergo omnium affectionum solus amor et in Deo et in homine sit et simul sit et utrumque conjungat (nam Deo judicante homo judicatus, Deo irascente homo timens, Deo amante et ipse amans invenitur) [3]): Spiritus amor illius circulationis vel regyrationis creaturarum (omnia enim revertuntur sicut in finem in id, a quo sicut a principio prodierunt) [4]) et centrum est et extremum, et initium et finis. Ad ima pertingit, supra omnes coelos extollitur, omnia implet, calefacit, vivificat: Dei hominumque vinculum firmum, omnium creaturarum, tam Angelorum, quam hominum nexus spiritualis. Per eum Christus in nobis et nos in Christo Gal. IV, 6. II Cor. V, 14. Eph. III, 19., tanquam filii adoptionis cum filio naturali uniti, in Christo autem cum Patre; habetur enim Pater in Filio, Filius in Spiritu sancto. Ipse Ecclesiae omnia membra pervadit et in unum colligit, unita cum capite *Jesu*, *Jesum* cum Deo conjungit. Eph. II, 15—19. IV, 3—6. Phil. I, 27. II, 1. I Cor. XII, 10—13. Rom. XII, 3—8. Sicut enim Spiritus hominis mediante capite ad membra vivificanda descendit, sic Spi-

---

1) Haec est illa *Charitas*, quam Apostolus Petrus I. Ep. I, 7. ab *amore fraterno* distinguit, illa charitas, quae anathema esse a Christo pro fratribus optat. Rom. IX, 3. cf. II Cor. XI, 29. vid. sup. P. I. §. 2. a. I. et a. III.

2) *Richard. Vict.* Trinit. l. VI. c. XIV.

3) *S. Bernard.* Serm. LXXXIII. n. 4. t. I. p. 1560.

4) *D. Thom.* in I. Sent. D. XIV. Q. II. a. 2.

ritus sanctus per Christum venit ad Christianos. Caput unum, membra multa; in uno corpore Spiritus unus, cujus plenitudo quidem in capite est, participatio in membris[1]). Quae corporis unitas, ut capiti suo inhaereat et ut sciens, quia omnes, qui se elongant ab ipso, peribunt, possit ipsa caste et suaviter dicere: „Mihi adhaerere Deo bonum est“: illa charitas facit, quae diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis[2]). Creatura Deum quaerit, in Spiritu quaerit. Deus creaturam quaerit (semper enim ut gallina pullos, ita congregare nos sub alis exoptat); in Spiritu quaerit. Invenitur Deus quaerendo, et inventus quaeritur: in Spiritu invenitur et in Spiritu iterum quaeritur. Nunquam enim Spiritus desistit ab inspirando, urgendo, commovendo: ipse, in quo clamamus, Abba pater, ipse, qui pro Sanctis gemitibus inenarrabilibus orat[3]). Et haec quidem in corde nostro. Quid autem in corde Patris? Sicut in nobis interpellat pro nobis; ita in Patre delicta donat cum ipso Patre, Dominus noster in corde Patris.

Itaque quod postulamus, idem ipse donat, qui donat, ut postulemus. — Ille unitas totius rerum naturae: ut mundus sine sole, ita spiritualis creatura sine Spiritu sancto. Quem quum in principio repulissemus, mors in mundum intravit, et cum morte ira et odium et angustia et terror et taedium vitae, et regnavit mors, donec Christus maledictionem in cruce sustulit. Et per Spiritum crucis mysterium nobis revelatur, ut credentes unum simus, sicut Pater et Filius Joan. XVII, 23. Atque iterum imperat coelum in Ecclesia, et Ecclesia in coelo. Templum enim Spiritus sancti S. Ecclesia et unusquisque, qui per viam unam et ostium in Ecclesiam intraverit. — Et sicut Spiritus sanctus pax et deliciae SS. Trinitatis nominatur, ita etiam nobis pacem et gaudium cum charitate attulit Eph. II, 14—18. Matth. V, 11. 12. Rom. VIII, 6. XIV, 17. XV, 13. I Cor. I, 3. II Cor. I, 2. Rom. I, 7. II, 10. Philipp. II, 1—5. IV, 7. Gal. V, 22. Eph. V, 9. Joan. XVI, 24. 33. Matth. IX, 14—16. II Cor. V, 6—9., ne felicitatis infinitae, qua Deus sine intermissione fruitur, radius in hac lacrymarum valle nobis desit.

Amoris plenitudo, quae ipse est et quam in creaturas effundit, in signis etiam, quibus se hominibus visibiliter manifestabat, apparuit[4]). Sicut columba ferebatur supra *Jesum*, cum baptiza-

---

1) *Hugo Vict.* de Sacram. lib. II. P. II. c. I. p. 442.

2) *Fulgent.* ad Monim. lib. II. cap. X. p. 85., in quo capite plura praeclare de amore Spiritus disserit, quem in creaturas diffundit.

3) *S. Bernard.* Serm. I. in Pentec. n. 4. p. 943. Cf. splendidam Cornelii a Lapide expositionem in Rom. VIII.

4) Cf. de apparitione Spiritus sancti sub specie columbae *Tertull.* de carne Christi c. III., qui false hypostatice eam cum Spiritu unitam fuisse opinatur. Bene de ea *S. Augustinus* Trinit. IV, 21., Etherius et Beatus

retur. Est enim columba simplex, pura, mitis, casta, amore et pace repleta, atque animal foecundissimum [1]), ad significandam spiritualem foecunditatem.

In igneis linguis Apostolis apparuit, qui eum promissionem Patris exspectaverant, ut flagrantem charitatem cordibus eorum insereret, robus augeret et ignita verba, quibus resistere nemo posset, ipsis infunderet. Propterea ebrii videbantur non musto, sed Spiritu sancto, et exsultabant amore, quo erant repleti. Et unicuique pari modo Spiritus ignis est, in cujus cor intraverit: cum enim totam possederit animam, suggerendo, instruendo, afficiendo, loquens semper in cogitationibus nostris, ut audiamus et nos, quid loquatur in nobis Dominus Deus rationem illuminans, voluntatem inflammans; nonne tibi videtur, quia totam domum impleverint dispertitae linguae tanquam ignis, sint autem dispertitae linguae propter multiplices cogitationes, sed eorum multiplicitas uno lumine veritatis et uno charitatis fervore sit tanquam ignis? Plena erit autem omnis terra majestate ejus, quando non solum anima, sed et ipsum corpus spirituale resurget [2]).

His, quae de amore Spiritu diximus, finem imponamus; pauca illa sufficiunt, nam quo diutius contemplando immoramur, eo magis cogitationum numerus accrescit, affectionum fervor accenditur, et exinde sermonis rivulus rore divino nutritus in magnum flumen extenditur, quod justis riparum limitibus superfusum facile exundare possit.

Amoris nomine omnium proprietatum primam et principem et quasi originem designavimus; eo igitur *proprietas* tertiae personae aeterna potissime significatur. Inde ad illud nomen transgrediendum, in quo *divina natura* potius elucet.

§. 2.

De tertia persona Spiritu.

Licet *Pater* a Filio aliquando Spiritus appelletur, adorandus in Spiritu et veritate Joan. IV, 24. (qui locus, quamvis ad Deum unum referri possit, tamen de Patre convenientius explicatur) et Filius (Dominus) Spiritus ab Apostolo nominetur II Cor. III, 7.; tertia tamen persona plurimis S. Scripturae locis Spiritus vocatur (Joan. III, 5. Rom. VIII, 16. I Cor. II, 10. XII, 4. et aliis, quos infra citabimus) et a S. Patribus proprie hoc nomine designatur.

I. Procedit enim a Patre *Spiritu et Filio Spiritu; ipse Spiritus a Spiritu*, firmissimum et indissolubile vinculum Trini-

---

contra Elipand. lib. II. p. 396. (Bibl. Lugd.) *Paschasius Ratbert.* in Matth. lib. II. p. 407. 408. (Bibl. Lugd.)

1) *D. Thom.* in I. Sent. D. XVI. Q. 1. a. 3.

2) *S. Bernard.* Serm. in Pentec. I. n. 6. p. 935. cf. *Hugo Vict.* de Sacram. lib. II. P. II. c. I. p. 442. Miscell. lib. I. c. III. p. 93. *Leo M.* Serm. I. in Pentec. p. 209. (ed. Paris. 1623.)

tatis [1]). Τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα παρ' ἀμφοτέρων πνεῦμα ἐκ πνεύματος, πνεῦμα γὰρ ὁ θεός [2]). Constat enim inexpugnabili ratione, Spiritum sanctum esse de Filio, sicuti est de Patre, nec tamen esse de duobus diversis, sed de uno. Ex eo enim, quod Pater et Filius unum sunt, id est ex Deo, est Spiritus sanctus, non ex eo, unde alii sunt ab invicem [3]). Quod igitur utrique commune, hoc de tertia persona proprie dicitur, quum ex ipsis subsistentiam, eamque propterea habeat, quae sunt ipsis communia. Quoniam Deus Spiritus est et spiritualis vita: ideo Pater et Filius, et quoniam uterque Spiritus, ideo in Spiritu Trinitas perficitur. Recte itaque Spiritus vocatur, cujus est proprium a Patre et Filio Spiritu, propter Spiritualitatem et in quantum sunt unus Spiritus, procedere, atque egregie Fulgentius [4]) dixit: „Spiritus alicujus aspirantis est, ergo ad Patrem Filiumque refertur."

II. Si autem S. Augustinus [5]) relationem in hoc nomine non apparere dicit, procul dubio omnino in eo non videri minime affirmat; verum non primo adspectu cognosci. Ex illis enim, quae parte I. §. 1. a. II. de Spiritus notione diximus, sequitur notionem hanc non minus voluntatis, quam intellectus esse propriam; immo vero illam ex voluntate potius desumptam, quam ex intellectu [6]). Verum enimvero Spiritum *animi quandam affectionem* et exagitationem, quae voluntatem praecipue afficit, nominari invenimus. Ita hostiles aliquis, altos, regios, mites, benignos Spiritus sumere, spiritum mitigare, exasperare dicitur, et poëta divino ac poëtico spiritu agitatus veteribus videbatur. Inde Graeci μέγα πνεῖν, μένεα πνεῖν, πῦρ πνεῖν [7]) dicebant et animi summam commotionem hoc vocabulo denotabant, quemadmodum Latini spirare eum dicebant, qui ardente cupidine in aliquam rem ferebatur.

Pari modo Hebraei vocabulum רוּחַ usurpant [8]).

---

1) *S. Bernard.* Serm. III. in Pentec. n. 2. p. 942.

2) Sanctus Spiritus ex ambobus Spiritus de Spiritu: Spiritus enim Deus. *Epiphan.* Haeres. XXX. c. IV. n. 7.

3) *Anselm.* lib. de process. Sp. S. cf. *Aug.* Trinit. V, 11. XV, 19. *Agobard.* de fid. verit. c. III. Plures Patrum sententias attulit *Petavius* Dogm. tom. I. p. 399.

4) De Trinitate c. VI. p. 561. cf. Resp. ad Ferrand. Diac. I. p. 237.

5) Trinit. V, 11.

6) Veterum scriptorum non pauca loca collegit Robert. Stephanus Thes. ling. latin. s. v. spiritus, spiro, ubi diversas vocabuli significationes, quas adduximus, invenies.

7) *Act.* IX, 1. II *Macc.* IX, 17.

8) Τοῦτο δὲ τὸ πνεῦμα δύναμιν καὶ οἱονεὶ δευτέραν ψυχὴν αἰσθητικὴν οἱ παρ' Ἕλλησι καλοῦσι σοφοί. Ἡ οὖν αἰσθητικὴ αὕτη ψυχὴ ἐστιν ἡ μέχρι μυελῶν καὶ φλεβῶν καὶ ἀρτηρῶν καὶ ὀστέων καὶ ὅλου τοῦ σώματος διϊκνοῦσα. *Dionys. Areop.* De divin. nom. c. XII.

Affectum itaque vel amoris vel odii, eumque vehementem et flagrantem hoc vocabulo significari elucet. Cum autem *odium* proprie dictum in Deum cadere non possit, in *interna* vero Dei vita et odii suspicio absurda esset; amorem Spiritus vim efficere sequitur. Quia igitur Spiritus sanctus est amor Patris in Filium, quo se diligunt et amantem et amatum dicimus in spiritu uniri [1]), tertia persona spiritus a Spiritualitate nominatur. Quod utrique pari ratione convenit, inquit Richard. a S. Victore [2]), quomodo solus ille quasi proprium nomen accepit? Sed appropriatio ejusmodi denominationis omnino videtur esse praeter rationem exprimendae cujuscunque proprietatis. Si verosimile quid habet divinae proprietatis spiritus ille, qui de humano corpore procedit, cur non multo magis spiritus ille, qui de spiritu humano procedit et est spiritualis? Quis est enim spiritus ille, qui de corde humano in aliis levius, in aliis vehementius spirat? in his tepidius, in illis ardentius flagrat, nisi intimus animi affectus et aestuantis amoris impulsus? Hinc est, quod illi quidem dicuntur unum spiritum habere, uno spiritu incedere, quibus inest unum consilium, idem propositum, qui idem amant, idem affectant et pari voto desiderant. Vere itaque, qui spiratur a Patre et Filio ignitique amoris est fructus ac terminus, Spiritus nominatur [3]).

III. [4]) Affectus autem, de quibus diximus, *spiritu oris* nostri, id est *anhelitu* maxime patefiunt, cum videlicet aut prae amore suspiramus, aut prae laboris et doloris angustia gemimus [5]), aut anxietate cruciati celerrimo ductu spiritum agitamus: quo vehementior enim affectus, eo celerior spiritus. Atque haec est altera Spiritus significatio, ut *halitum* significet, qui quidem, quoniam ex corde procedit et ejus motum ac dispositionem indicat, non sine caussa ad Spiritum divinum refertur. Sicuti enim spiritus non latet in animi recessu, quem commovet, sed ex ore aperte exit atque sensibili modo vim suam prodit, ita etiam Spiritus sanctus non ἐνδιαθετὸς ut charitas essentialis in Deo requiescit, sed προφόρικὸς ut personalis amor procedit, neque in sinu Dei inexplicabili latet, sed testimonium de se unicuique perhibet, qui ipsi aditum non recludit [6]).

---

1) D. Thom. in I. Sent. D. X. Q. 1. a. IV.

2) De Trinitat. lib. VI. c. X.

3) Hanc solum ob caussam eum Spiritum nominari, arbitratur *Scot.* I. Sent. D. XVIII. Q. unic. n. 5. p. 1003.

4) Sequentes Spiritus significationes vid. ap. S. Joann. Damasc. Fragm. (tom. I. p. 576. ed. *Le Quien*.)

5) *Abaelard.* Introduct. in theolog. lib. I.

6) Ἅγιον δὲ πνεῦμα προσερεῖς τὸ ἐκ θεοῦ πατρὸς δι᾽ υἱοῦ προχεόμενον φυσικῶς καὶ καθάπερ ἐν τύπῳ τῆς ἐκ τῶν στομάτων διαπνοῆς τὴν ἰδίαν ἡμῖν κατασημαῖνον ὕπαρξιν. *Cyrill.* Dial. I. II. *Afflans Jesus* Spiritum et in Spiritu potestatem remittendi peccata discipulis tradebat.

IV. Non raro Spiritus *aura vitalis* et spiramentum corporeum (πνεῦμα τοῦ βίου) nominatur, et quoniam respiratione vita ducitur, et *vitam* significat [1]). Spiritus sanctus vero quasi vitae divinae est complementum et si ipse per impossibile in Deo non esset, vita Divina esset nulla. Ex fervente enim amore prodiens, amore totam Trinitatem complectitur, quemadmodum respiratio, interior vitae actio, et ex calore procedit et calorem gignit [2]). Est autem amor vitae principium et summus gradus, initium, decus et perfectio. Et si *amorem* et *spiritum* ejusdem *vitae* partes dixeris: amor principium vitae, Spiritus vitalem motionem, impulsionem et manifestationem [3]), interius amor, Spiritus exterius, quietum ille, hic mobile et motum denotare videtur. Qui igitur per amorem ex corde divinae essentiae processit, ex communicata vita Patris et Filii vitam accepit, et vita ipsa est, recte sine ulla dubitatione spiritus et vita vocatur. Propterea, ut respiratione vitae praesentia dignoscitur (cessante enim respiratione cessat vita), ita etiam Patris et Filii vita et praesentia nobis manifestantur Spiritu sancto, in quo cognoscimus, quod Pater in nobis manet.

Verum, quoniam etiam *nobis vita* est, praesertim vitae nomen accipere videtur, quum divina nomina non solum ab aeternis relationibus, sed etiam ab effectibus in tempore desumantur. Ipse enim in cordibus vehementius spirans, validum ignem charitatis accendit [4]), quo incalescentes nos ipsi vitam accipimus, quam nunquam nutrire desinit; et in hoc aptissime illi nomen πνεύματος convenit, quod non solum vitam, sed etiam *vitae nutrimentum* aliquando designat, quum respiratio diverso sensu ita nominari possit. Sicut Jesus in S. Eucharistia animi cibus est, quia vitam, quae ipse est, nobiscum communicat; pari modo Spiritus sanctus vita est et nutrit vitam. Mortuus unusquisque, quem Spiritus sanctus derelinquit. Nam stipendium peccati mors, et qui peccat, corruptionis servus II Petr. II, 19 [5]). Ἰσότης enim ἐστὶν ἡ ζωὴ, ἀνισότης δὲ ἡ φθορά· καὶ ἁρμοσία μὲν ἡ δικαιοσύνη καὶ ἡ φρόνησις, ἀναρμοσία δὲ ἡ ἀφροσύνη καὶ ἡ ἀδικία [6]). Mors animae impietas, mors corporis corruptibilitas. Sicut anima Deo deserente, sic corpus anima deserente moritur, unde illa fit insipiens, hoc exanime [7]). Ubi enim Spiritus Dei recedit, omnia perturbantur, disjiciuntur, destruuntur, ut nihil nisi vita supersit, quae

---

1) Genes. VI. 17. Hiob. VII. 15. III Reg. XVII. 17.

2) *S. Bonavent.* in I. Sentent. D. X. A. II. Q. III.

3) *D. Thom.* Summ. Q. XVII. a. 4.

4) *Bernard.* Serm. III. in Pentec. n. 8.

5) Omnia fere loca S. Scripturae, quibus mors peccatoris describitur, collegit Fulgent. ad Monim. lib. I. c. XXVII. p. 68.

6) Aequalitas est vita, inaequalitas vero interitus; et concors justitia et ratio, discors insipientia et injustitia. *Methodius* Conv. X. Virg. III. n. 7.

7) *S. August.* Trinit. IV, 3.

aeterna morte damnata semper moritur [1]). Quomodo enim vivere potest, qui ab eo est separatus, qui omnis vitae plenitudinem in se continet?. Diabolus licet vivat, semper desperans, se ipsum et totum mundi ordinem negans et tollendi avidus, mors est et mortem generat; quid enim interest inter mendacium et mortem? ipse vero mendax erat et homicida ab initio. Joan. VIII, 44. Sicut autem Diabolus superbus hominem superbientem perduxit ad mortem, ita Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. Quia sicut ille elatus cecidit et dejecit consentientem, sic iste humiliatus resurrexit et erexit credentem [2]). Hunc ut cognoscamus Christum, quem Pater misit, Spiritu juvamur, ut habeamus vitam aeternam: potum sapientiae intellectui porrigit, immittit et nutrit fidem. Voluntatem bonitate, fervore affectum nutriens nos excitat, ut a peccatis et vanis voluptatibus abhorrentes Deum diligamus, atque ipsi soli serviamus. Denique spem infundit, quae non confunditur; spe enim jam salvati sumus et vivimus vitam, quae nunquam terminatur; nam conversatio nostra in coelis est et omnium virium intentione ad finem tendimus, omnia, quae retro sunt, obliviscentes, ut eo tandem illius ope sustentati perveniamus, ubi ipse cum Patre et Filio Sanctis suis est lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata et felicitas perfecta, et creaturae vita supra omnem modum et omnem intellectum plena ac perfecta.

V. Praesentia vero Spiritus raro clare dignoscitur, sed sicut aëre circumfusi degimus, atque, ne tactum quidem ejus sentientes, nutrimentum tamen ex ipso haurimus, ita etiam in Spiritu vivimus, movemur et sumus, nec eum adesse cognoscimus. Si autem aliquando aër tempestate perturbatur, atque ventus, qui et idem spiritus nominatur [3]), oritur, sensu eum percipientes ortum ignoramus. Simili modo Spiritus ubi vult, spirat, et vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, aut quo vadat Joan. III, 8. sicuti etiam ipsi, qui comparationem istam instituit, accidit. Postquam enim Jesus Joan. VIII, 12. lucem mundi sese appellaverat, Pharisaei eum increpant; quibus Ille: „Et si testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio, unde veni et quo vado: vos autem nescitis, *unde venio et quo vado.*" Comparatio vero venti cum Spiritu sancto omnibus numeris absoluta. Ventus ubique, et Spiritus ubique [4]); est instabilis, invisibilis, investigabilis, neque capiendus, nec retinendus: summae libertatis symbolum. Percipi oculis non potest, neque tactu, si lenius incedit; tantummodo auribus, quando vehementer irrumpit. Venit, recedit celeri volatu, mutatur sine lege vel ignota lege.

1) Cf. de duplici morte, quae mortem peccatoris sequitur. Fulgent. ad Monim. lib. I. c. VI. p. 47.

2) S. *Aug.* Trinit. IV, 10.

3) Genes. VII, 15. VIII, 1. Ps. X, 7. et passim.

4) *Didym. Alexandr.* de Spiritu S. c. VI.

Pari modo tunc solum, quando Spiritus sensum illuminatione, vel gratia voluntatem movet, praesentem eum sentimus atque comperimus, neque tum clare, sed ut in aenigmate, in quantum in his tenebrosis locis a Deo misericorditer nobis conceditur.

„Da mihi," inquit mellifluus Doctor [1]), „da mihi animam, quam frequenter Verbum sponsus invisere soleat, cui familiaritas ausum, cui gustus famem, cui contemptus omnium otium dederit: et ego huic incunctanter assigno vocem pariter et nomen sponsae. — Fateor et mihi adventasse Verbum, in insipientia dico, et pluries. Cumque saepius intraverit ad me, non sensi aliquoties cum intraverit. Adesse sensi, affuisse recordor, interdum et praesentire potui introitum ejus, sentire nunquam, sed ne exitum quidem. Nam unde in animam meam venerit, quove abierit denuo, eam dimittens, sed et qua vel introierit, vel exierit, etiam nunc ignorare me fateor secundum illud: Nescis, unde veniat, aut quo vadat. — Ascendi etiam superius meum, et supra hoc Verbum eminens; ad interius quoque meum curiosus explorator descendi, et nihilominus infra inventum est. Si foras aspexi, extra omne exterius meum comperi illud esse: si vero intus, et ipsum interius erat. Et cognovi verum quidem esse, quod legeram: quia in ipso vivimus, novemur et sumus, sed ille beatus, in quo est ipsum, qui illi vivit, qui eo movetur."

Haec ille, quem Spiritus sanctus docuit, non doctores humani de Verbi adventu. Non secus de Spiritu dicendum: nam Verbum ut Deus animam intrat et cum Patre per Spiritum in anima mansionem facit; itaque non minus vere, quam de Verbo divino S. Bernardus enarrat, de Spiritu canit Paulinus Episcopus Forojuliensis [2]):

— Grates referam —
Spiritus alme, tibi, metuenda tremenda majestas,
Fons caritatis, amor dulcis super omnia mella,
Lux et origo boni, casti spirator amoris,
Qui quo vadis et unde venis nesciris et orbem
Terrarum reples, et ubi vis, perpete spiras.
Auditur vox ecce tua, clamore silenti
Cordis in aure sonat, nullo quatiente fragore [3]).

VI. Tandem ex his visibilibus rerum creatarum signis iterum ad aeternum Deum Spiritum revertamur. Nam per Spiritum sanctum se Deus potissime *ut Spiritum manifestavit*, cujus nomen ubique in Spiritu et veritate invocetur. Illud enim magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, aessumptum est in gloria, Spiritus sancti ope

---

1) Serm LXXIV. in Cant. Cant.

2) Carm v. 141. ed. Madris. p. 170.

3) Cf. Greg. Moral. XXVII. c. 13.

per totum terrarum orbem revelatum est, sicut fulgur exit ab Oriente et paret usque ad Occidentem, et in Spiritu sancto et veritate Christo ubique Deo cultus acceptabilis et rationalis perhibetur. In Spiritus nomine euntes docebant Apostoli omnes gentes; Ipso baptizabant Act. I, 5. Ipse gentes in unitatem Ecclesiae recipiendos ostendit: „Num quid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut et nos?“ Act. X, 47. Sicut enim infusum in vase aliquo unguentum cohibet odorem, qui odor, quamdiu vasis illius angustiis coërcetur, etsi ad plures non potest pervenire, vim suam servat; cum vero de vase illo, quo claudebatur, unguentum fuerit effusum, longe lateque diffunditur; ita et Christi nomen ante Spiritus adventum in Israël populo, quasi in vase aliquo, Judaeorum mentibus claudebatur: („Natus enim in Judaea Deus, in Israël magnum nomen ejus“) postea vero per omnem utique creaturam extenditur [1]). Ideo praeputium amplius nihil valet neque circumcisio, sed fides, quae est ex auditu. Praedicabant vero Apostoli Spiritu et coeperunt variis loqui linguis, prout Spiritus sanctus eloqui eis dabat, et stupebant omnes ac mirabantur dicentes: „Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilaei sunt, et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?“ Stupebant sane, erat enim miraculum inauditum. Verum Spiritus linguarum diversitatem sustulerat, ut omnes accederent uno Spiritu ad unum Deum, qui Deus gentium est et Judaeorum.

VII. Et omnes, qui poenitentia ad eum revertuntur, Spiritu *spirituales* efficit. Et ita una et praecipua, ut credo, ratio est, inquit D. Thomas [2]), cur tertia persona Spiritus nominetur, quia per ipsum et dona ipsius in participationem divinae Spiritualitatis trahimur, in quantum a temporalibus removemur, unde contemptores temporalium spirituales dicuntur: et hoc ipsi convenit, in quantum procedit ut amor, qui habet rationem primi doni, in quo omnia dona donantur.

Quae angelici Doctoris ratio conversa majorem vim habere videtur, nam sicut omnis Paternitas a Deo Patre nominata est (Eph. III, 15.), ita etiam omnis spiritualitas in coelis et in terra a Spiritu existentiam et nomen recepisse verisimile est. Verum quum spiritualitas haec terrena nobis magis nota sit, ex illa denominationem depromptam putamus, sensuum errore illusi, quo eodem solem circa terram moveri vulgus arbitratur. Revera autem nos spirituales efficimur praesentia Spiritus sancti et communicata ejus natura. Cum enim benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiae, quae fecimus, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos

1) *S. Ambros.* De Spirit. S. I. 7.

2) In I. Sent. D. X. Q. I. a. 4.

abunde Tit. III, 4—7. Ipse vero non Spiritus hujus mundi est, sed Spiritus ex Deo I Cor. II, 12., per quem ad Spiritualitatem perducimur v. 15. III, 1. Habitat enim in nobis, et nos templum illius sumus I Cor. III, 16. VI, 19. II Cor. VI, 15. Propterea spiritu vivimus atque ambulamus Gal. V, 25. VI, 1. 2., Rom. VIII, 10. XII, 11. 12. Omne enim, quod natum ex carne est, caro est, et omne natum ex Spiritu spiritus est. Joan. III, 16. Quum igitur a sordibus peccatorum, a libidinum immunditie et a turpitudine omnis malae voluntatis liberos nos Spiritus sanctus reddit [1]), puriores evadimus et spiritualiores, ejusque naturae similiores, cujus auxilio a luto peccatorum, et terrenarum rerum infectione purgati sumus.

Merito igitur Spiritus sanctus spiritus vocatur, qui, natura sua spiritus, spiritualitatem et veram libertatem creaturis dispertit. Atque sicut spiritus cunctis corporis partibus praesens, totus in singulis, in toto totus, ita Spiritus sanctus gratiam sine limite et mensura et modo distribuit. Spiritus enim ubi vult spirat, dividens singulis prout vult. Non, qui beneficiorum terrestrium mos est, in capessendo munere coelesti mensura ulla vel modus est, nec coërcentibus claustris intra certa metarum spatia fraenatur: manat jugiter, exuberat affluenter, nostrum tantum sitiat pectus et pateat. Quantum illic fidei capacis afferimus, tantum gratiae inundantis haurimus [2]). Deus usque modo operatur, et Filius operatur et Spiritus sanctus. Et sicut Deus spiritus propter spiritualitatem per omnia loca extenditur, neque tamen includitur, sed omne spatium superat: ita Spiritus sanctus gratia sua ubique praesens, ubi locus ipsi invenitur. Locus autem ejus est cor creatum: utinam pateat, ipse adest.

Ita indicium *proprietatis* divinae parvum primo in hoc nomine animadvertentes, vestigium illud tenue et leviter impressum secuti, clarius tandem expressam proprietatem cognovimus ac pro viribus explanare studuimus. Sensim exilior et infirmior sequentibus rationibus proprietatis splendor, donec penitus evanescebat et *divinitas* Spiritus in nomine elucere incoepit. Postremo in effectibus temporalibus proprietas iterum emersit, quam breviter tantum exponere nobis licebat, quoniam processu sermonis idoneus huic explanationi locus invenitur.

Est enim *Spiritualitas* a *Sanctitate* haud longe diversa. Scriptura sacra πνεῦμα σαρκὶ opponit, quod peccatum *libidinis* et *irae* saepius significat, et ita πνεῦμα a sanctitatis notitia non est alienum Matth. XXVI, 41. Joan. VI, 63. Rom. VIII, 9. Gal. III, 5. V, 22. 25. Eph. V, 9. Sanctitas enim est ab omni immunditia libera et perfecta et immaculata munditia (vid. quae Part. I. §. 3. de illa diximus), et ideo convenienter sanctitas spiritualitati adjungitur, quae a materialitate separationem dicit,

---

1) Cf. *Jacob. Nisib.* Serm. VI. de Devot. n. 13.

2) *Cyprian.* Ep. II. ad Donat.

ut sic per spiritualitatem designetur separatio a materia et per sanctitatem a materialibus defectibus[1]). Quod clarius inde cognoscitur, quod si Deum ens universale esse cogitamus et animo nobis effingimus, mens vel prorsus immota permanet, vel stupore quodam afficitur, quemadmodum rebus, quae hominum captum superant, fieri solet; si autem spiritum contemplandum sibi proposuerit, statim ad amorem ac poenitentiam impellitur.

Itaque transitus ad Sanctitatem reipsa struitur. De hoc nomine autem inquirentibus aliud occurrit, quod vix ab eo separari potest: *Virtus Altissimi.* Conserti enim et connexi et alter in altero contenti sunt hi duo conceptus. Si *Deum* respicis, latius patet virtus Altissimi, quam sanctificandi vis; est enim sanctificatio manifestatio quaedam *potentiae* et *virtutis divinae;* si ad *hominem* sanctificandum oculum vertis, latius vis sanctificationis patet; est enim confortatio voluntatis, quae Virtute Altissimi perficitur quaedam sanctificationis pars. Itaque de utroque nomine conjunctim dicendum est, ne repetitionibus molesti efficiamur, simulque ut rem, quantum possumus, penitus explicemus.

Jam vero ex arcanis illis relationibus divinis in *opera ad extra* descendimus, investigantes, quale opus et cur Spiritui sancto attribuatur; ut convenientiam illius nominis *sancti*, quo prae caeteris appellatur, perspiciamus.

§. 3.

De Spiritu sancto et Virtute Altissimi.

Amoris nomine proprietatem ejus divinam et aeternam relationem exprimi; *spiritu* divinam potius *naturam* significari indicavimus. *Sanctus* autem Spiritus nominatur, quoniam ipse praecipue sanctitatem operatur.

Priusquam de hac quaestione sermonem uberius instituamus, hoc praemonendum videtur: circumscriptam et limitatam nullius Personae operationem in operibus ad extra nos putare, quemadmodum Origines Patrem in omnibus, Filium in rationalibus, Spiritum in Sanctis operari dicebat[2]): sed credimus, totam Trinitatem concurrere, quamvis una persona praecipuam operis partem assumat. Inseparabilis enim in se ipsa Trinitas (cum idem

---

1) *D. Thom.* in I. Sent. D. X. Q. I. a. 4.

2) Περὶ ἀρχῶν lib. I. c. 3. n. 5. Quamvis enim n. 7. addat κατ' ἐξοχὴν hos operandi modos personis divinis convenire, neque majus aut minus in Trinitatem se velle inferre, et n. 8. satis catholice opinionem illam explicet, tamen hoc bene reputandum, posteriora haec loca tantummodo a Rufino translata superesse, et alia: in Joan. tom. II. n. 2. 3. 18. tom. XIII. n. 25. contr. Cels. lib. VIII. pass. eandem opinionem clare exprimere; ita ut Cl. Huetius mihi frustra laborasse videatur, ut Origenem ab hoc naevo purgaret. Eundem errorem secutus est Novatian. de Trinit. n. 17.

velle et idem posse non in affectatione sit voluntatis, sed in substantia Trinitatis[1]) per visibilis creaturae speciem separabiliter demonstratur, et inseparabilis Trinitatis operatio etiam in singulis est rebus, quae vel ad Patrem, vel ad Filium, vel ad Spiritum sanctum demonstrandum proprie pertinere dicuntur[2]).

In radio namque solis quamvis splendor illuminet, calor exsiccet, tamen inseparabiliter conjunguntur splendor et color[3]).

I. Quod quum ita sit, tamen relationum aeternarum quaedam signa et in operatione animadvertimus. Et *primum* quidem in caussando totum opus Patrem per (διά) Filium in (ἐν) Spiritu sancto operari observamus. Omnis enim operatio a consilio, in sapientia composito proficiscitur atque voluntatis vi et opere perficitur. Consilium et voluntas in Patre, a quo et Filius et Spiritus sanctus procedunt; sed consilium in sapientia aeterna formatum et a Verbo aeterno in Verbo temporali et efficaci expressum ab Illo, qui est character substantiae Patris et primogenitus omnis creaturae, tertiae Personae, quae loquitur omnia, quae a Filio audit et ex Filii thesauris sumit, quae dat, peragendum traditur. Inde προκαταρκτικὴ αἰτία Pater, δημιουργικὴ Filius, τελειωτικὴ Spiritus sanctus a S. Basilio nominatur[4]). *Perficere* ergo est proprium Spiritus sancti, qui per voluntatem spiratur et in quem mutua Patris et Filii voluntas terminatur. Quodlibet autem opus divinae *potentiae* manifestatio est, et ita merito Spiritus, qui consilium in effectum perducit, *Virtus Altissimi* nominatur[5]). Virtutum quidem nomine etiam ordo quidam in hierarchia Angelorum coelesti denotatur, non autem Virtutes *Altissimi* appellantur, sunt enim illi administratorii Spiritus, magna virium excellentia praediti, quorum ope Deus utitur, ut voluntatem suam exsequatur; verum, ut finita illorum natura et administratorium munus designetur, simpliciter Virtutes nominantur. Et Filius non minus virtus Altissimi, quam Spiritus sanctus, ideoque a plurimis Patribus[6]) ita appellatur, in ipso enim condita omnia, et sine ipso

---

1) *S. Ambros.* Spir. S. II. 12. p. 823.

2) *S. Aug.* Trinit. IV, 21. cf. *Method.* Serm. in Ram. Palm. n. 5. (*Gall.* p. 823.) et magnificam illam orationem *Greg. Naz.* Or. VI. n. 2. cf. XVIII. n. 16. XXII. n. 12. *Fulgent.* Respons. I. ad Ferrand. Diac. p. 239. *fusius*, Ambrosium et S. Augustinum imitatus.

3) *Hugo Victor.* Summ. Sent. tract. I. c. XI. p. 305.

4) De Spirit. S. c. XVI. n. 38. cf. *Klee* Dogmat. ed. prim. tom. II. p. 117. sq.

5) Manifestationem omnipotentiae hoc nomine exprimi, ex eo perspici potest, quod Samaritani Act. VIII. 10. cum Simonem Magum miracula edere vidissent, a minimo usque ad maximum dicebant: „Haec est virtus Dei, quae vocatur magna." (ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη.)

6) *Justin* Dial. c. Tryphon. n. 61. *Theophil.* ad Autolyc. II, 10. *Greg. Thaumaturg.* Expos. Fid. *Hippol.* contr. haeres. Noët. n. XIII. *Melet.* Or.

factum nihil, et Verbo Virtutis suae omnia portat; Spiritus autem praecipue hoc nomine denotatur[1]), quum in nomine Filii omnia *conficiat* et inde ut Virtus Dei praecipue nobis appareat.

Una itaque caussa in tres caussas dispartita est, quae aequali potentia, quamvis diverso ordine operantur, ut Trinitas in unitate animadvertatur. Nomen unum in tribus: unus Dominus, non plures Domini, et tamen Filius in nomine Patris, Spiritus in nomine Filii opus aggreditur atque perficit.

Perficere autem duplici sensu pronuntiatur; vel, consilium exsequi (cogitatio enim est quasi initium rei, quoniam operandi initium), vel incoeptum opus ad finem perducere. Licet autem in divinis cogitatio et actio non sint diversae, tamen ex objecto, in quod agitur, ambarum disparitas oritur. Et ita jure etiam in *effectu* vel *opere* triplicitatem caussarum discernimus.

Primum rei *substantia*, secundo *forma*, utriusque conjunctione rei existentia componitur. Substantia a Patre, qui vocat ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt (*καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα*), *forma* a Filio, qui est exemplar cujusvis boni, amborum *connexio* et copulatio a Spiritu, ut aeterni illius vinculi quoddam signum videatur. Ex hac intima conjunctione substantiae et formae (rei et ideae), quo sese invicem pervadunt, in rebus libertate destitutis vita oritur (propterea Spiritus *vivificator* dictus). Si vero substantia est libera et formam sibi praescriptam vel accipere vel rejicere potest; commotione et sustentatione opus est, ut libertas in formam dirigatur et intenta in eam non deficiat. (Virtus Altissimi -*sanctificator*.)

Inter *operationes divinas* maxime excellens est revelatio (nam quaevis revelatio est operatio vel verbo vel facto, non autem quaelibet operatio est revelatio, itaque hae duae conceptiones non sunt plane eaedem, ut a quodam, alioquin insigni Theologo affirmatur). Invisibilis (*ἀόρατος*) Pater ex inaccessibili luce per Filium egreditur, qui est splendor luminis aeterni et imago Patris, et creaturae in Spiritu manifestatur. Igitur et in revelatione trinum illum personarum ordinem observamus. Filius *ad creaturam* descendit (venit in propria et inter nos conversatus est), Spiritus *in* creaturam illapsus est (misit eum in corda nostra Pater). Spiritus igitur mediator inter Christum et creaturam, ut Christus inter Deum et creaturam. Quotquot promissiones sunt, in Jesu: Est (*ναὶ*) II Cor. II, 19.; sed hujus affirmationis certitudinem creaturae Spiritus affert, et ita, quae in se est affirmatio aeterna, in corde creato per Spiritum resonat. Et hoc modo Sermo Dei efficax fit et penetrabilior omni gladio ancipiti; et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quo-

---

ad popul. Antioch. c. III. (ap. *Epiphan.* Haeres. 73). *Zenon* Tractt. lib. II. tract. III—V.

1) Luc. I, 35. Act. I, 8.

que ac medullarum Hebr. IV, 12. (cf. Sap. VII, 22. — VIII, 2. Athenag. leg. pro Christian. c. XXII.).

Quum supra omnem modum efficax sit, merito virtus Dei per eminentiam is vocatur, qui hujus effectus est auctor ac princeps.

Omnis autem operatio, quoniam aut in creandas aut in creatas res exercetur, *temporis* legi est subjecta et ordine justo progreditur [1]). Successionem itaque divinarum operationum animadvertimus, quae aeterna lege ordinatae tempore peraguntur; et in hac mirum in modum trinitas personarum iterum elucet. Pater enim, a quo Filius et Spiritus, et a quo cujusvis actionis exordium, primum locum teneat, oportet, secundum opus Filius, tertium Spiritus, qui et Trinitatem aeternam et temporale opus claudit, exsequatur, congruum est [2]).

II. De his igitur universe locuti per singulas divinarum operationum species percurramus, ut et Virtutis Altissimi et Spiritus sancti naturam clarius intelligamus.

Primum opus, mundi conditio potissime Patri adscribitur, merito; quia, qui a nullo est, sed *ἄναρχος* aeterne consistit, rerum naturam e nihilo creavit. Ita ex illo (*ἐξ αὐτοῦ*) omnia et ipse omnium *ἀρχή*. Sed Deus est caussa rerum per intellectum et voluntatem sicut artifex artificiorum. Artifex autem per Verbum in intellectu conceptum et per amorem suae voluntatis ad aliquod relatum operatur. Unde et Deus Pater operatus est creaturam per suum Verbum, quod est Filius, per quem omnia I Cor. VIII., et in quo condita sunt omnia in coelis et in terra, visibilia et invisibilia Col. I., et per suum amorem, qui est Spiritus sanctus [3]), qui fecit nos Job. XXXIII, 4. XXVI, 13. Ps. XXXII, 6. CIII, 13. Omnium perfectionum, quae in rebus creatis inveniuntur, summa in Sapientia per eminentiam colligata est; in hoc Verbo exemplaria omnium creatarum notionum inveniuntur. Spiritus autem sanctus, quae sapientia intellectu fingit, opere exprimit. „Ferebatur Spiritus Dei supra aquas.“ Creaturae, quae Filii verbo creatur, limites inhaerent, si limites et distinctio, et numerus et forma et formarum series diversae, ordinem et pulchritudinem (quae veluti anima inanimatarum rerum sunt) prae se ferentes. Haec individualisatio, ut inusitato vocabulo utar, rerum naturae perfectio est, quam ut constituat Spiritus sanctus,

---

1) De revelatione, inquantum historiae subjecta est, explicanda optime meritus est Cl. Staudenmaier, praesertim in libro, qui inscribitur: „Geist der Offenbarung.“

2) Pater quidem caussa Filii et ambo Spiritus; caussatum autem non posterius caussa, sed cum illa aeterne coëxistit. In operibus autem externis caussarum *naturalis* ordo in temporali *successione (prius—posterius)* manifestatur.

3) *D. Thom.* Summ. Q. XLV. a. 6. cf. *Hugo Vict.* De sacram. fid. lib. I. P. II. c. VII. p. 360. cf. ib. CX. p. 361.

congruum est, qui ex ratione internae suae proprietatis divina opera complet. Itaque cum superferebatur Spiritus, nulla erat gratia creaturae [1]). Postea vero quam operationem Spiritus etiam Creatura mundi istius suscepit, omnem hanc gratiae meruit venustatem, qua mundus illuxit. Denique sine Spiritu sancto gratiam manere non posse Propheta declaravit, dicens: Auferes Spiritum eorum et deficient et in pulverem suum revertentur. Emitte Spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terrae. Ps. CIII, 13 [2]).

Atque haud secus intelligibilem rerum universitatis partem, et Angelos et hominem perficit. *Ἄνθρωπος γὰρ κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν τοῦ ἀγενήτου γένεται Θεοῦ· τοῦ μὲν πατρὸς εὐδοκοῦντος καὶ κελεύοντος, τοῦ δὲ υἱοῦ πράσσοντος καὶ δημιουργοῦντος, τοῦ δὲ πνεύματος τρέφοντος καὶ αὔξαντος, τοῦ δὲ ἀνθρώπου ἠρέμα προκόπτοντος καὶ πρὸς τέλειον ἀνερχομένου* [3]). Per filium ipse filius Dei ad imaginem Dei homo creatus est, per Spiritum sanctum ad similitudinem perductus [4]); quae, in sanctitate praesertim consistens, similitudo quum omnium sit perfectio creaturarum: ad culmen primi operis perducti subsistentes paullulum, Sanctitatem Spiritus et liberam ejus cum creatura communicationem contemplabimur.

Nulla creatura per se vel per naturae vires sancta est. Potens quidem et validus et intelligens etc. *natura* homo, sanctus autem est benevola Dei cum anima communione et liberi arbitrii in Deum conversione [5]). Ut suis ipsius viribus non *est*, ita sua libertate sola non talis est, qui in Deum feratur; sed gratia praevenitur, ut Deum quaerat, et gratia cum Deo intime unitur. Unionis hujus initium a *superiore*, immo supremo domino oriatur oportet; hominis est sequi. Quemadmodum igitur Deus creaturae libere existentiam dat, ita etiam existentiae qualitates: justitiam et ordinem, ut in gradu posita sit, qui illi a Deo creatore est assignatus, verumtamen potestatem et optionem ipsi fecit aut recipiendi istam formam et istum ordinem, aut rejiciendi. Si itaque Sanctitas jure animae forma nuncupari licet (sicuti Scholastici animam corporis formam nominabant), in quam vi quasi naturali vehementer tendit, et qua orbata (*στηρηθείς*)

---

1) Venustas est aliqua creaturae inanimatae gratia.

2) *S. Ambros.* De Sp. S. II, 5. cf. *Fulgent.* de Trinit. c. VI. p. 561.

3) Homo enim ad imaginem et similitudinem increati creatur Dei: Patre volente et jubente, Filio faciente et condente, Spiritu nutriente et augente, homine sensim proficiente et ad perfectionem perveniente. *Iren.* adv. haer. IV. c. 38. n. 3. cf. de hac doctrin. Epist. Synod. Damas. ad Oriental. ap. *Theodoret.* H. E. V, 11. p. 215., quae summo acumine SS. Trinitatis doctrinam exponit.

4) Cum spiraculo vitae justitiam originalem a Sp. S. homini infusam esse, multi Patres affirmant.

5) *Libertas gratiam* quasi correlativam postulat, et *liberos* in gratiae regnum ac dominium intrare oportet.

inquieta et turbida fit, donec iterum in finem suum (ὅρον) intret: tamen haec forma tanquam lex [1]) a *Spiritu* animae libere infusa efficax est, quoniam gratia Spiritus in ipsa et per ipsam operatur, ita ut, si violata fuerit, idem Spiritus animum ad poenitentiam et emendationem concitet atque impellat.

Spiritus autem sanctus est sanctitate absoluta, non quasi acquirens, sed quasi impertiens bonitatem; non enim accipit a creaturis, sed accipitur spiritus sanctus, sicut non sanctificatur, sanctificat autem Spiritus sanctus, in quo licet verbi communio, discretio tamen naturae est, sanctus enim dicitur homo, qui accipit, et Deus, qui tribuit sanctitatem [2]). Ut enim lux et splendor cum tenebris componi non possunt, ita etiam natura Spiritus sancti, quae sancta est, non recipit pollutionem. Naturaliter enim vel substantialiter sancta est. Si qua autem alia natura sancta est, ex assumptione hoc vel inspiratione Spiritus sancti habet, ut sanctificetur, non ex sua natura hoc possidens, sed accidens [3]). Propterea *δεσπόζον πάσης κτίσεως τὸ πνεῦμα, οὐ δεσποζόμενον, θεοῦν, οὐ θεούμενον, πληροῦν, οὐ πληρούμενον, μετεχούμενον, οὐ μετέχον, ἁγιάζον, οὐχ ἁγιαζόμενον* [4]).

In insuperabili igitur perfectionis gradu constituta tertia Persona Spiritus sanctus appellatur, sicuti Filius ratio vel verbum vel sapientia; nam sicuti voluntatis sanctitas, ita *sapientia* intellectus summa perfectio est, et Spiritus ex voluntate omnibus numeris absoluta, quippe divina processus atque ipse omnimodo absolutus, utpote Deus, sanctus perfecto nomine denotatur. Ipsi igitur opus *creaturam sanctificandi* praecipue congruum est. Procedit enim, ut ait S. Thomas [5]), sicut ratio cujuslibet operis voluntatis, sicut etiam Filius producitur, ut ars omnium eorum, quae per intellectum divinum constituta sunt. Meminit enim sui Deus, et genitus est Filius; dualitas ergo intellectu producitur; sed haec dualitas in tertia Persona completa et perfecta est, quum ambo uniti spirant spiritum, qui aestuantis amoris et concitatae voluntatis est fructus. Ita per Filium creatur mundus; cognoscit Pater

1) Naturae Spiritus, necessitati libertas, naturae legibus praecepta divina ac moralia opposita sunt. cf. P. I. §. 3. n. V. VI.

2) *S. Ambros.* de Sp. S. I, 5. cf. c. 7. vid. P. 1. §. 3. n. III.

3) *Origen.* Περὶ ἀρχ. lib. I. c. VIII. n. 3.

4) Imperans enim omni creaturae Spiritus sanctus, non imperio subjectus; deificans, non deificatus, implens, non impletus, cujus omnes participes, qui ipse nullius, sanctificans, non sanctificatus. *Joan. Damasc.* Orthod. fid. I, 8. p. 137. cf. *Didym. Alex.* de Sp. S. c. IV. *Greg. Naz. Or.* XXXIV. n. 12. *Basil.* saepiss. Hom. in Ps. XXXII. n. 4. adv. Eunom. III, 4. Hom. XV. de fid n. 3. (Vol. II. p. 132.) de Sp. S. c. XVI. n. 38. Epist. VIII. n. 10. CLIX. n. 2. (Quae dispersa in libris *S. Basilii* de spiritu sancto inveniuntur, c. IX. de Spirit. S. composita sunt.)

5) In I. Sent. D. X. Q. 1. a. 1.

in Filio, jubet per Verbum; adest. Deus solus operatur, creatura, quia nulla est, sed fit, nihil. Simili igitur modo, quamvis si infiniti et finiti distantiam respicis, longe dispari: Filius intellectu generatur; etiam mundus per Verbum, quod intellectus paterni imago est, creatur. Persona autem Patris et persona Filii, licet in eadem Divinitatis essentia et unitate, proprietatibus sunt distinctae; et ita, quamvis una scientia et una voluntas in Deo, tamen voluntas *Patris* et *Filii* ut diversarum hypostaseon; quae duae personae Spiritu sancto tertia persona amoris vinculo conjunguntur. Quum autem amor inter *existentes* solummodo esse potest (*existentia* quidem personarum ex relationibus oritur), Spiritus sanctus, ut Patrem et Filium conjungit, ita etiam creaturam per Verbum intellectu creatam cum ipsis copulet congruum est. Postquam enim creatura intelligens et libera creata est, per intellectum in eam Pater agere non potest, ita ut novam et plane aliam condat; (destruat enim, necesse est, ut novam condat) sed voluntate voluntatem, quam liberam creavit, movet.

Itaque ipse, qui per *voluntatem* processit, *voluntati* succurrit, eamque ad Patrem, a quo creata est, reducit; ipse, qui per *amorem* processit, amorem, quae essentia est sanctitatis, gignit[1]), et ipse, qui a Patre et Filio procedit, potissime *divinae naturae* similitudinem communicat; ita ut qui tertius est quoad ἀρχὴν Spiritus, et mittitur a Patre per Filium, initium redeundi nos ad Deum faciat.

Ut igitur omnium creaturarum existentia sola Voluntas Dei fuit, quia ejus voluisse fecisse est; rectum est, ut illa voluntas, qua creati sumus et per quam existimus, in nobis fiat et permaneat, ne ab ea destituti, mox veluti rei condemnemur. Nihil ergo justius, quam ut voluntas Dei, qua subsistimus, agatur in nobis, quatenus ab ipsa per ipsam ad ipsam felicius quandoque perveniamus[2]). *Virtute Altissimi* itaque omnia creata; *Spiritu sancto* omnia sanctificata; virtute denuo Altissimi omnia *reguntur*. Dominium enim supremum hoc nomine manifeste exprimitur. In illa enim superna atque coelesti patria Dei voluntas (qui est Spiritus), qui facit Angelos suos spiritus et ministros suos ignem flagrantem, in spiritibus summa pace atque amicitia copulatis et in unam voluntatem quodam spirituali charitatis igne conflatis, tanquam in excelsa et sancta et secreta sede praesidens, velut in domo sua et in templo suo, inde se quibusdam ordinatissimis creaturae motibus primo spiritualibus, deinde corporalibus per cuncta diffundit, et utitur omnibus ad incommutabile arbitrium sententiae suae sive incorporeis, sive corporeis rebus, sive rationalibus sive irrationalibus, spiritibus sive bonis per ejus gratiam, sive malis per propriam voluntatem [3]).

---

1) P. I. §. 3. a. III. Hanc praecipue rationem urget *Bossuet* Catechisme de Meaux. Part. II. leç. XII. art. III.

2) *Paschas. Ratb.* in Matth. l. IV. p. 450. (Bibl. Lugd.) cf. *Hugo Victor.* de Sacram. lib. I. P. III. c. XXIII. p. 368.

3) *S. Aug.* Trinit. III, 4.

Virtute Altissimi (est enim Spiritus amor ille ineffabilis) conceptus, *Filius secundum opus* aggreditur, et medium locum sibi assumit [1]). In puerum in praesepe reclinatum tempora, quae per ipsum facta sunt, decurrunt; sidera monstrant, Angeli ducunt, per ipsum omnia creata sunt et in ipsum, et ipse est ante omnia et omnia in ipso constant. Col. I, 17. Temporum et naturae centrum est puer natus a Virgine et reclinatus in praesepe; temporum et naturae *judicium* est exaltatus in cruce Dominus. Verum non solus rem peregit: tota Trinitas incarnationem Filii operata est, ut homo ille esset et ut Verbo uniretur: sed non ut toti Trinitati uniretur. Ergo illa operatio non magis Filii quam Patris, sed unio Filii et non Patris [2]). Dominus Jesum creavit (Prov. VIII.), misit (Gal. IV.), clarificavit, resuscitavit. Ex spiritu sancto Maria in utero habens inventa est, quia per amorem et operationem Spiritus sancti ex carne virginis divino partui natura substantiam ministravit. Nam quia in corde ejus amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne ejus virtus Spiritus sancti mirabilia faciebat [3]). Spiritum Jesus sine mensura acceperat, semper enim super eum manebat, et eum ducebat. In digito Dei, qui est Spiritus sanctus (Luc. XII.) daemones ejecit ac regnum tenebrarum destruxit. Et in eo maxime *virtus* Dei manifestatur, quod principem Angelorum, qui superbia lapsus etiam homines seduxit, ex imperio, in homines usurpato, expulit. Quare, postquam Michaël Draconem e coelo detrusit: Propheta vocem magnam in coelo audivit dicentem: „Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri et potestas Christi ejus.“ Apoc. XII, 10. In *vincendo enim potente et malo* virtus imprimis eminet.

Itaque *καὶ ἡ πᾶσιν ἄφατος καὶ ἀπόῤῥητος ἐκ τῆς ἀειπαίδος Μαρίας ἐν σαρκὶ θεανδρικὴ θεοφανεία τοῦ μὲν πατρὸς βουληθέντος, τοῦ δὲ υἱοῦ σαρκωθέντος, τοῦ δὲ πνεύματος συνεργήσαντος φαῖεν ἂν γεγονέναι· οὐκ ἀτονίᾳ τοῦ ἑνὸς πρὸς τὸ δρᾶμα, ἀλλὰ πάντων συμφωνίᾳ τε καὶ ἑνότητι καὶ ταυτότητι τῆς μίας βουλῆς τε καὶ αὐθεντίας καὶ βασιλείας τῆς ἐν τριάδι· εἴωθεν ἡ γραφὴ τριχῶς τὰ πολλὰ τῆς θεουργίας διαιρεῖν, τὰ μὲν τῆς παλαιᾶς διαθήκης εἰς τὸν πατέρα ἀνάγουσα, τὰ δὲ τῆς νέας εἰς τὸν τοῦ Θεοῦ παῖδα χριστόν· τὰ δὲ ἐνεστώτως θείως δρώμενα εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα* [4]).

---

1) Cur Spiritus redemptionis opus non perficiat, *Richard. Vict.* lib. de verbo incarn. (ad Bernard.) c. IX—XI. fusius exponit.

2) *Hugo Victor.* Summ. Sent. Tract. I. c. XI. p. 305. Clarius ac perfectius de sacram. lib. II. P. I. c. III. p. 426.

3) *Hugo Victor.* de Sacram. lib. II. P. I. c. VIII. p. 434.

4) Illam, quae a nemine edici et satis extolli potest, Dei in carne humana ex Maria semper virgine factam manifestationem. Patre jubente. Filio incarnato, Spiritu cooperante factam esse quis dixerit; non quasi unus ab opere quieverit, sed omnium concordia, et aequalitate et unitate ejusdem

Jesus, factus obediens usque ad mortem, praecipuus nostrae salutis auctor nos Deo per crucem (legem mandatorum decretis evacuans), reconciliavit, inimicitiis in semetipso interfectis. Perdita enim erat gratia, peccatum et mors regnabant; exercebant imperium potentates hujus aëris et princeps hujus mundi. Atque ideo Christus, qui restituit gratiam, victoriam morti, inferno stimulum eripuit, redemptor noster singulari modo et est et nominatur. Per Spiritum sanctum autem semetipsum Deo offerens immaculatam hostiam, emundavit Christus conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi (Hebr. IX, 14.). Propter quod et Deus exaltavit eum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen; et omne judicium Filio tradidit, et consedet in dextera sedis magnitudinis in coelis (*ἐν δεξίᾳ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς*) Hebr. VIII, 1., a dextris virtutis Dei (*ἐκ δεξιῶν καθήμενον τῆς δυνάμεως*) Marc. XIV, 62. Unde veniet cum nubibus coeli; et retribuet bonis requiem in revelatione de coelo cum Angelis virtutis (*δυνάμεως*) ejus: — mali autem poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini et a gloria virtutis ejus (*ἀπὸ τῆς δόξης τῆς ἴσχυος αὐτοῦ*) II Thess. I, 7. 9. [1])

Inde misit Spiritum sanctum, ut opus redemptionis perficeret atque ad finem *sanctificando creaturam* perduceret. Non vero de suis loquitur spiritus, sed omnem *veritatem*, quam Jesus revelavit, suggerit memoriae, ac mentem in eam inducit, et omnem *gratiam*, quam Jesus meruit, hominibus dispertit: „si enim non abiero, Paraclitus non veniet“ Ipse ait. Jesus Christus est A et Ω. Ipse est fons omnium meritorum semper manans, quibus delicta deleat; omnium gratiarum, quibus animam ad vitam aeternam promerendam aptam reddat; Spiritus vero, ut ab aeterno processit a Christo, ita et in tempore ab Ipso omnia hausit bona, quae in creaturas larga donatione effundit[2]).

Quoniam autem contrarium e contrarii disparitate distinctius cognoscitur: in reparanda perdita creatura Spiritus Virtus et Sanctitas imprimis apparet. Quo gravior lapsus, eo manifestius auxilium; superabundavit peccatum, superabundat gratia. Sed et in hoc opere S. Trinitas manifestatur. *Pater*, a quo omne datum optimum et donum perfectum descendit Jac. I, 17., *praescivit* nos Rom. VIII, 29., ipsius enim factura sumus Eph. II, 10., et *vocavit* nos Rom. VIII, 29. in Jesu Christo Philipp. III, 14., I Petr. V, 10., et *justificavit* nos Rom. VIII, 29., voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae ejus Jac. I, 18. et

---

consilii et dominii et imperii, quod in Trinitate est. Consuevit scriptura varia Dei opera distinguere, antiqui foederis ad Patrem referens, novi ad Dei Filium Christum, quae vero jamjam divine perficiuntur, ad Spiritum sanctum. *Caes.* Dial. III. Interr. 167.

1) Quibus locis *Virtus*=suprema potestas.

2) De Spiritu sanctificationis opus ad finem perducente *Cl. Hirscher* Moral. tom. I. p. 417. vere et acute disserit.

misit Spiritum filii sui in corda nostra Gal. IV, 6. III. 5., quem dat omnibus petentibus se Luc. XI, 13. et operatur virtutes in nobis I Thess. II, 13. I Cor. XII, 16. et in omni bono nos aptat, ut voluntatem ejus faciamus, faciens in nobis, quod placeat coram se per Jesnm Christum. Hebr. XIII, 21.

Filius et ipse vocavit nos, ut in omni conversatione sancti simus I Petr. I, 15., in ipso creati sumus in bonis operibus, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus Eph. II, 10., in ipso omnis Dei gratia nobis datur. I Cor. I, 4. Jesus pastor et episcopus animarum nostrarum I Petr. II, 25. et advocatus noster, ipse confortat nos in omni bono I Timoth. I, 12. II Thess. II, 16. 17. sine quo nihil possumus facere. Joan. XV, 5.

Ad Patrem (caussa principalis et finalis) per Filium (caussa meritoria et formalis (exemplum) in Spiritu (caussa efficiens) [1]) sanctificamur. Et ita Spiritui sanctificationis opus praecipue adscribitur. Quamvis enim per Dominum et Salvatorem poenitentia praedicatur, et conversis a malis ad bona et omnia, quae ad perfectionem videntur tendere, compleatur; tamen perfectio in eo consistit, si post haec omnia Spiritus sancti gratiam aliquis mereatur accipere; alioquin nihil in eo perfectum putabitur, cui Spiritus sanctus deest, per quem mysterium beatae Trinitatis impletur [2]). Christus enim nobis vitam recuperavit, Spiritus eam nobiscum communicat et in nobis perficit. Ergo quicunque communicat Spiritui sancto, statim communicat Patri et Filio. Et qui charitatem habet Patris, habet eam a Filio, contributam per Spiritum sanctum, et qui particeps est gratiae Jesu Christi, eandem gratiam habet datam a Patre per Spiritum sanctum [3]).

Accepta igitur virtute supervenientis Spiritus Act. I, 8. Eph. III, 7. Apostoli fidi ac constantes erant testes usque ad ultimum terrae. Cogita enim, post hujus spiritus repletionem, quam constanter egerit, qui prius ad ancillae vocem expavit, Christumque negavit. Quidquid constantiae, quidquid patientiae in Apostolis erat, ex illo Spiritu erat, qui eorum corda repleverat. Denique quidquid virtutis, quidquid fortitudinis habebant, ab eodem Spiritu acceperant, qui omnia continebat [4]). Ipse eos ducebat et retinebat Act. VIII, 29. 39. X, 19. XIII, 2. 4. XV, 28. XVI, 6. XX, 23., in omnem veritatem inducebat Joan. XIV, 26., loquebatur in eis Matth. X, 19. Marc. XIII, 11. Luc. XII, 11. 12. et nemo poterat sapientiae atque Spiritui resistere, qui loquebatur in eis Act. VI, 10. IV, 8., puniebat per eos resistentes Act. V.

1) Cf. egregiam expositionem Conc. Trident. Sess. VI. c. VII.

2) *Origen.* Hom. III. in Jes. Nav. n. 2. p. 403. cf. Hymn. praestantem: „Veni sancte Spiritus, Et emitte coelitus Lucis tuae radium" etc.

3) *Didym. Alex.* de Sp. S. c. XVIII. Uberius *Hippol.* contr. haeres. Noët. n. XIV., quo loco vix clarius aliquid invenitur.

4) *Rich. Vict.* Serm. de Sp. S. P. I. p. 382.

Illius virtute Ecclesia aedificata supra fundamentum Apostolorum et summo angulari accrevit in templum Dei; illius virtute regitur, ut veritatem omnem, quam *Jesus* revelavit, cognoscat semper atque retineat Act. XV, 28. Joan. XIV, 16. Necessarium enim est, ut sicut ex Spiritu sancto natus est Christus, quando Deus unigenitus in utero virginis, unitus homini suo tanquam sponsus processit de thalamo suo; ita Ecclesia dono Spiritus sancti adhaereat Christo, tanquam mulier viro suo et tanquam corpus capiti suo[1]). Gentes in ipsam adducit Act. X, 19. 43.; atque arguit sine intermissione mundum de peccato, de judicio et justitia Joan. XVI, 8—12. et convictum in ipsam inducit, et baptismate, quod in ipsius nomine datur Act. XIX. 2.[2]) purgat, in peccata iterum lapsum per poenitentiae sacramentum Joan. XX, 22. in amicitiam Dei reconciliat. Illius invocatione (ἐπικλήσεως) et opere panis hic terrenus in panem vivum, id est SS. Corpus Christi transsubstantiatur; ut, quemadmodum conceptus ex eo Christus in mundum intravit, illo mediante semper inter nos in sanctissimo Sacramento versetur. Et sicuti Christus apud Ecclesiam, quae est ejus corpus, usque ad consummationem saeculi manet Matth. XXVIII, 20., ita et Paraclitus manet in illa semper Joan. XIV, 16. et portae inferi non praevalent adversus eam. Spiritus fideles abluit, ut cum Christo morientes a peccatis mundi in ipso vivant, et oleo regio et sacerdotali et bellicoso illos ungens sicut Christus ipse unctus erat Act. X. confirmat atque confortat, in poenitentiae sacramento peccata confesso et contrito condonat et ex sanctissimo corde Salvatoris, quod in Eucharistia adoratur, tanquam ex infinito gratiarum mari novos semper thesauros fidelibus porigit; praeterea sacerdotes manuum impositione ordinat, qui munus illius summi sacerdotis obeant, qui ad dextram patris sedet, et uxorem cum viro sacramentali vinculo conjungit, sicut Christus cum Ecclesia est conjunctus, ac tandem morti appropinquantes, defatigatos longo vitae itinere, oleo laetitiae ungit et confortat, ut postremum cum principe tenebrarum agonem viriliter certent; et hoc modo unam illam redemptionis gratiam septem rivulis, qui nunquam exarescunt neque exhauriuntur, ad fideles larga ac libera donatione perducit, atque cunctorum et singulorum mentes ad vitam aeternam capessendam aptat. Sanctificamur, justificamur in nomine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri I Cor. VI, 11.

In singulorum vero sanctificatione Virtus Altissimi mirum in modum cognoscitur. Reluctantes enim Spiritus fortiter ac suaviter devincit: *diabolum* reprimit, qui coactus solum fortiori potestati e regno cedit; hominem miraculorum signorumque tum multi-

---

1) *Fulgent.* ad Monim. lib. II. c. X. p. 85.

2) Si desit nomen et agnitio Spiritus sancti, baptisma nullum est. *S. Ambros* de Sp. S. I, 3.

tudine tum magnitudine ad agnitionem veritatis impellit I Cor. II, 4. 5. I Thess. I, 5. et sermonis valido impetu, qui non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione Spiritus consistit, cor repugnans expugnat; ita ut homo signorum immanitate obstupefactus ac perculsus, sermonis arguentis vi superatus ac convictus, demulcente denique gratia allectus, poenitentiam agat atque in servitium et amorem Dei se totum tradat. Vacillanti deinde ac debili Spiritus non deest; sed si quis legem Dei sequitur, roborat eum et confirmat, ut in bona voluntate et bono opere persistere possit. Nam magnum est certamen contra carnem et diabolum, et velle quidem nobis adjacet, perficere autem non invenimus. Habemus thesaurum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei et non ex nobis II Cor. IV, 7. *Credimus* secundum operationem potentiae virtutis ejus, Eph. I, 9., et custodimur per fidem in virtute Dei in salutem, paratam revelari in tempore novissimo I Petr. I, 3—6., ut ambulemus digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei: attamen in *virtute* confortamur secundum potentiam claritatis ejus in omni patientia et longanimitate cum gaudio Col. I, 10. 11., exhibentes nosmet ipsos sicut Dei ministros in virtute Dei per arma justitiae a dextris et a sinistris II Cor. VI, 7. Et inde replet Deus *spei* nos omni gaudio et pace in credendo, ut abundemus in spe et virtute Spiritus sancti. Rom. XV, 13. Nam Crucifixus quidem Christus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei, et nos infirmi sumus, sed vivimus cum eo ex virtute Dei in nobis. II Cor. XIII, 4.

Licet igitur Verbum crucis pereuntibus stultitia sit, iis, qui salvi fiunt, i. e. nobis, Dei virtus. I Cor. I, 18. Rom. I, 16. Quam ob caussam ei, qui potens est omnia superabundanter quae petimus aut intelligimus, secundum virtutem (*δύναμιν*), quam operatur in nobis (*τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν*); ipsi gloria in Ecclesia. Eph. III, 21. Col. II, 29. Et libenter gloriabimur in infirmitatibus nostris, sufficiente nobis gratia Christi, ut inhabitet in nobis virtus Christi (*ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἡ δύναμις τοῦ χριστοῦ*), nam virtus in infirmitate perficitur (*ἡ γαρ δύναμις ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται*). II Cor. XII, 9. Ipse est, qui operatur omnia in omnibus, distribuens singulis prout vult. I Cor. XII, 11. Exornat singulos, qui eum receperunt, donis illis gratis datis, 1. Cor. XII., in quibus magnitudo et virtus divina imprimis enitent. Itaque vacillantem libertatem excitat atque firmat, voluntatem imbecillam roborat; de virium insufficientia desperantem animam sublevat, ut virtus Altissimi in infirmitate perficiatur, ac postremo stabilitum in virtute hominem gratiis coelestibus decorat, quae naturae ordinem longe excedunt atque naturales vires longe antecellunt, ut et hisce per *Virtutem Altissimi* Ecclesia aedificetur. I Cor. XIV, 4. Si enim intrat quis infidelis vel idiota (omnibus prophetantibus) convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: occulta cordis ejus manifesta fiunt: et ita cadens in faciem adorabit Deum,

pronuncians, quod vere Deus in vobis sit. I Cor. XIV, 24. 25. Hebr. II, 4. *Sanctificationis* vero *totum* opus ille praesertim peragit. Nam parentum nostrorum peccato a Deo dirempti ac divisi, quamvis immaculati agni sanguine reconciliati, tamen non solum inopia virium laboramus, sed etiam peccatis propriis affecti sumus et multifariis cupiditatibus deformati. Ipse nos ad poenitentiam perducit, extirpat superbiam vitae, evagantem sensum cohibet, carnem petulantem coërcet. Emundatam deinde a peccatis animam ad virtutum aemulationem excitat movendo, monendo, docendo; illuminat ut veritatem cognoscere possit, Joan. XIV. 26.; ut cognitam amet, inflammat; nemo enim potest dicere: Domine Jesus, nisi in Spiritu sancto. I Cor. XII, 3. I Joan. IV, 2. Terrenarum voluptatum taedio et rerum coelestium amore replet, quo commota, exul frui patria coelesti ambit et eluctatur. Et si in via mandatorum Dei currere eam docuerit, charitatem ipsi infundit Rom. V, 5., quae spem aeternae vitae operatur, et hac dulcedine animam tot pugnis implicitam et tam magno moerore confectam consolatur, ut inter quotidianum luctum semper gaudere possit. I Cor. II, 9. 10.

Spiritus enim certiores nos reddit, quod filii Dei sumus, si autem filii et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et glorificemur, Rom. VIII, 17. Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit, quid desideret Spiritus: quia secundum Deum postulat pro sanctis. Rom. VIII, 26—29.

Ita nos e terra longinqua et ex umbra mortis ad paternam domum reducit, semper nobiscum, in nobis, alter Angelus (Genes. XLVIII, 16.), qui eruit nos de cunctis malis; omnia scrutatur I Cor. II, 10., omnes defectus, omnem augustiam cognoscit, desideria cordis explorat; paratus semper, volentem adjuvare et intentus, bonam voluntatem et Spiritum rectum innovare. Ille solus sapiens, solus bonus; solus potens. Si ipse nobiscum, cujusvis manus pugnet contra nos, neque expugnabit; fortior enim Deus Spiritus in nobis, quam mors et vita, quam angeli et principatus et virtutes et instantia et futura.

Et ita, ut decebat eum, propter quem et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare Hebr. II, 10., decet eum, qui in principio omnes sanctificavit, denuo sanctificationem consummare.

Ille non per manus Angelorum, qui aliquando lumen, fortitudinem et consolationem nobis apportant, et contra hostes nostrae salutis nos defendunt, sed ipse nobis gratiam sanctificantem immediate infundit, sicut Jesus immediate Spiritus virtute *conceptus*, post tentationem et post agonem vero in horto olivarum ab *Angelis confortatus est*. Quam ab caussam Altissimi, qui ineffabilis omnem creaturam infinities superat, et supremum impe-

rium tenet, altissima virtus appellatur, quum majestas Dei praesertim in sanctificatione manifestetur.

Ex his, quae diximus, videre licet, in *novo Foedere* Spiritum sanctum, ut amorem magis, quam ut tremendam majestatem apparere [1]).

Sed magnitudinem etiam divinae sanctitatis animadvertimus. Alia enim lex quum die Pentecostes daretur [2]), lex Spiritus vitae in Christo Rom. VIII, 2., sicuti inter fragorem tonitruum et ignes fulgurum per manus Angelorum in Sinai lex statuebatur: ita etiam tunc facto sono tanquam advenientis Spiritus vehementis et apparentibus linguis dispertitis tanquam igni Act. II, 2. 3. Spiritus advenit, puritatem et majestatem suam significans. Deus enim consumens ignis est Hebr. XII, 29., sed consumens peccata, labes et tenebras. Terrorem quidem magnitudine manifestationis injecit, verum illapsus est non ut Spiritus servitutis, sed ut Spiritus adoptionis. Amor eum misit, amor venit, amorem dedit, et cum amore sanctitatem, itaque non timendus amplius, sed amandus et exoptatus et instantibus precibus expetitus. Redempti enim sumus sanguine Filii, et ipsi Filii Dei. Propterea non accedimus ad tractabilem montem et accensibilem ignem et turbinem, et caliginem et procellam et tubae sonum et vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum; non enim portabant, quod dicebatur — sed accedimus ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem et multorum millium Angelorum frequentiam et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in coelis, et judicem omnium Deum et Spiritus justorum perfectorum et testamenti novi mediatorem Jesum Hebr. XII, 18—25.

Ubi vero homo cor obdurat et instinctui Spiritus resistit, terribilem quoque se ostendit et scelus subitaneis vindicat poenis: „Non es mentitus hominibus, sed Deo." Audiens Ananias haec verba cecidit et expiravit. — „Quid utique convenit vobis, tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium et efferent te." Confestim cecidit Saphira ante pedes ejus et expiravit Act. V, 5—10.

Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro Matth. XII, 32. Ita Spiritus sancti contemptum aeterna mors sequitur.

Quartum denique opus (ut *numerus* compleatur, qui in corporalibus, ut ternarius in spiritualibus, summam perfectionem prae se ferre dicitur) ad illum decurrit, cui primum adscribitur. *Pater*, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora nostra per inhabitantem Spiritum ejus in nobis Rom. VIII, 11., suscitabit nos per *virtutem suam* I Cor. VI, 14. in Christo Phil. III, 21., qui et ipse nos suscitabit Joan. VI, 29., a cujus (Domini)

---

1) Cf. P. I. de sanctitat. §. 3. n. VI.

2) Eodem, quo lex in Sinai statuebatur, die.

Spiritu revelata facie gloriam Dei speculantes in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem II Cor III, 18. Hanc virtutem Dei nescire Salvator Sadducaeos increpabat Matth. XXII, 29.

Ita *Virtutem Altissimi* per singula opera investigavimus et ostendimus; et cum tres sint tanquam creationes, ex nihilo ad esse; ex *male* in *bene* esse, ac denique ex temporaliter in *aeterne* esse[1]), in his omnibus Virtutem Altissimi operari demonstravimus. Praeterea et Spiritum sanctificatorem contemplati sumus, et rationem modumque sanctificationis, quantum potuimus, breviter descripsimus, quoniam alio loco uberius ac distinctius de eo ut dicamus, rei natura excitamur. Totam igitur hanc disputationis partem, quae in principio et per decursum diximus colligentes, verbis Leonis Magni[2]) claudimus: „Nunquam ab omnipotentia Patris et Filii Spiritus sancti est discreta majestas: et quidquid in dispositione omnium rerum agit divina moderatio, ex totius venit providentia Trinitatis. Una est ibi benignitas misericordiae, una censura justitiae; nec aliquid est in actione divisum, ubi nihil est in voluntate diversum. Quae ergo illuminat Pater, illuminat Filius, illuminat Spiritus sanctus. Cum alia sit persona missi, alia mittentis, alia promittentis, simul nobis et unitas manifestatur et Trinitas: ut essentia habens aequalitatem, et non recipiens solitudinem, et ejusdem substantiae, et non ejusdem intelligatur esse personae. Quod ergo salva cooperatione inseparabilis Deitatis, quaedam Pater, quaedam Filius, quaedam proprie Spiritus sanctus exequitur: nostrae dispositio redemptionis, nostrae salutis est ratio. Si enim homo ad imaginem et similitudinem Dei factus, in suae honore naturae mansisset, nec diaboli fraude deceptus, a lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, creator mundi creatura non fieret: neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut aequalis Deo patri filius Deus formam servi et similitudinem carnis peccati assumeret. Sed quia invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, et aliter solvi captivitas humana non potuit, nisi caussam nostram ipse susciperet, qui sine majestatis suae damno, et verus homo fieret, et solus peccati contagium non haberet: divisit sibi opus nostrae reparationis misericordia Trinitatis: ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus igniret. Oportebat enim ut aliquid etiam salvandi pro se agerent, et conversis ad Redemptorem cordibus, ab inimici dominatione desciscerent. Quoniam, sicut Apostolus ait, misit Deus spiritum Filii sui in corda nostra clamantem Abba pater. (Gal. IV.) Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Et nemo potest invocare Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto II Cor. III. Si ergo duce gratia, fideliter sapienterque noscamus, quid Patri, quid Filio, quid Spiritui sancto in reparatione nostra proprium quidve commune sit: ea, quae pro nobis humiliter et corporaliter gesta sunt, ita procul dubio suscipiemus, ut nihil indignum de una atque eadem Trinitatis gloria sentiamus. Quamvis enim nulla mens ad

1) *S. Basil.* Ep. VIII. n. 11.

2) Serm. III. in Pentec. p. 217.

cogitandum de Deo, nulla ad loquendum lingua sufficiat, tamen quantumcunque illud est, quod humano intellectu de essentia paternae deitatis attingitur: nisi unum atque idem est, cum vel de unigenito ejus, vel de Spiritu sancto cogitatur, non pie sapitur, sed nimis carnaliter caligatur, et ipsum, quod de patre congruenter sentiri videbatur, amittitur: quia a tota Trinitate receditur, si in ea unitas non tenetur. Nulla autem ratione vere est unum, quod aliqua est inaequalitate diversum."

Hucusque de nominibus Spiritu et Sancto disjunctis locuti sumus, jam de conjunctione illorum et diversa in Scriptura sacra compositione pauca disseremus.

§. 4.

De Spiritu sancto, Spiritu *Dei*, *Patris*, *Filii* (Christi, Jesu Christi, Jesu); *Spiritu*.

Nomine Spiritus quum potissime, ut diximus, aeterna et interna ejus proprietas et divina natura designetur, in *sancti* autem vocabulo opus ipsi prae caeteris proprium eluceat; perfectissimum nomen Spiritus sancti tertiae personae tribui conveniens est. Negativam rationem affert S. Bonaventura [1]: Spirari in spiritualibus solius est amoris, et quoniam amor potest spirari recte et ordinate, et sic est purus: vel inordinate et immunde, et sic est libidinosus [2]: ideo persona illa, quae est amor, non tantum dicitur Spiritus, sed Spiritus sanctus. Non sic dicitur Filius Spiritus sanctus, quia generatio est motus naturalis, circa quem non attenditur sanctitas vel puritas, sicut attenditur circa amorem voluntatis. Itaque in Scripturis nunquam, et debellata Macedoniana haeresi rarissime a Patribus Filium hoc nomine appellari invenimus. Tribus primis seculis interdum Filius ita nominabatur, verum raro solummodo. Loca Patrum summa cum industria collecta invenis in Praefat. in Hilarium fol. XVIII. ed. Maurin.

I. *Spiritus Dei* (πνεῦμα Θεοῦ) Spiritus sanctus appellatur [3], ut a Spiritu, qui in mundo est, i. e. malo spiritu discernatur, et divinitas illius (diversitas ab *humano* spiritu) innotescat.

a. Distinguitur a *Spiritu maligno* praecipue Rom. VIII, 9. 14. (quod caput praesertim observandum est, ut diversum denominationum sensum intelligamus, nam cuncta in eo inveniuntur et proprio sensu pronunciantur; cum hoc capite I Cor. II, aptis-

1) In I. Sent. D. X. a. II. Q. III.

2) Cf. P. I. §. 2. a. I.

3) Observat has varias denominationes *Ambros.* de Spirit. S. I, 4., quamvis non differentiam, sed unitatem demonstrare sibi ex fine libelli proponat et Hilar. Trinit. lib. VIII. n. 22—27., qui ex eis consubstantialitatem Patris et Filii concludit.

sime conferendum) I Cor. II, 14. III, 16. (cf. VI, 19., ubi eodem sensu ἅγιον πνεῦμα pro πνεῦμα τοῦ θεοῦ).

b. *Divinitas* et a Spiritu humano segregatio denotatur Matth. II, 16. (ap. Luc. III, 22. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Joan. in parallel. I, 33. et Marc. I, 10. τὸ πνεῦμα). Matth. XII, 28. I Cor. II, 10. 11. VI, 11. VII, 40. XII, 13. (ubi πνεῦμα θεοῦ et πνεῦμα ἅγιον synonyme) II Cor. III, 3. Manifestius τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ τοῦ θεοῦ πνεῦμα I Petr. IV, 14. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ θεοῦ Eph. IV, 30.

II. Plenum ac totum conceptum sine ullo respectu designat: Spiritus sanctus (πνεῦμα ἅγιον).

πνεῦμα ἅγιον Joan. I, 33. Marc. I, 8. Luc. III, 17. Joan. VII, 39. Matth. I, 18. 20. Luc. I, 15. 67. II, 25. III, 21. IV, 1. (et passim) Joan. XX, 22. Act. I, 2. 5. 8. V, 3. VIII, 15. X, 44. 47. XIII, 9. XV, 8. 28. XVI, 6. A Luca in Evangelio et in Actibus Apost. fere semper hoc nomine tertia persona nominatur Rom. V, 5. IX. 1. XIV, 17. XV, 13. 16. I Cor. II, 13. VI, 19. II Cor. XIII, 13. Eph. I, 13. III, 15. Tit. III, 5. Hebr. II, 4. VI, 4.

τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον (sine ullo discrimine a πνεῦμα ἅγιον) Joan. XIV, 26. Matth. XII, 32. Marc. III, 29. (quibus locis notio *sanctitatis* aliquantulum urgetur) XIII, 11. Act, I, 16. XIII, 2. XV, 8. XXI, 11. I Thessal. IV, 8. Eph. IV, 30. Hebr. III, 7. IX, 8. X, 15. (in tribus his locis V. T. citatur.)

III. *Divinitatem ac processionem* significat:

πνεῦμα ἐκ θεοῦ I Cor. II, 11., de quo Chrysostom. Serm. de Spirit. S. ed. Montfauc. tom. I. p. 798., ubi plura de nominibus Spiritus sancti.

IV. Spiritus Patris (πνεῦμα τοῦ πατρός).

a. Vel majori vi pronuntiatur notio *Patris*, ut illius filios nos esse inde perspiciamus, quod Spiritum ejus accepimus. Matth. X, 20. 21. (Luc. XII. in parall. τὸ ἅγιον πνεῦμα) Eph. III, 16.

b. Vel si *aliquas operationes*, *quae Patri principaliter competunt*, perficit Rom. VIII, 11.: quod si spiritus *ejus*, qui *suscitavit Jesum* a mortuis, *vivificabit* et mortalia corpora vestra propter (διὰ) inhabitantem Spiritum ejus in vobis.

c. Vel denique, ut significetur *amborum relatio*. „Procedit enim a Patre" Joan. XV, 26. aeterna processione; et „mittitur" (ibid.) temporaliter, et „datur" ab eo singulis Joan. XIV, 16. Gal. III, 5. I Cor. XII, 6.

V. Dicitur Spiritus, 1. *Filii* (πνεῦμα τοῦ υἱοῦ) [1]),

a. Ex quo processit Joan. XV, 26. XVI, 13.

b. Quocum nos, filios Dei efficiens, conjungit Rom. VIII, 9. Gal. IV, 6.: et quoniam Filii estis, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba (Pater).

---

1) Spiritus Filii dicitur, quod per Filium eum nobis manifestatum esse et impertiri profitemur. *Joan. Damasc.* Fid. orthod. I, 8. p. 142.

2. *Jesu*,

a. qui possedit eum sine mensura Joan. III, 34.; cui visibiliter in baptismo supersedebat Joan. I, 32. 33. 34. Matth. III, 16., propter quod unxit eum Deus Luc. IV, 18. Act. X, 38. Jes. LXI. qui conceptus ipso Luc. I, 35. plenus eo ambulabat Luc. IV, 1. 14. et ab eo ducebatur Matth. IV, 1., et Daemones in illo ejiciebat Matth. XII, 28. (Vide, quae §. praecedenti de conjunctione Jesu cum Spiritu diximus)[1]).

b. qui eum nobis meruit (et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis) Joan. XIV, 16. VII, 39. I Cor. I, 4.

3. *Christi*, qui[2])

a. misit illum a patre Joan. XV, 26. XVI, 7. II Cor. XI, 4. Joan. VII, 39. I Cor. II, 16. (νοῦς χριστοῦ).

b. ut ante adventum passiones et posteriores glorias, quae in Christo sunt, praenuntiaret I Petr. I, 11. 12, et post adventum testimonium de ipso perhiberet. Joan. XV, 26. Gal. III, 2. cf. v. 14.[3]) Marc. I, 8. Luc. III, 16. Rom. I, 3. 4. Joan. XIV, 16—18. I Joan. IV, 6. V, 7[4]).

c. ex cujus facultatibus dispertit. (Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis) Joan. XVI, 15. II Cor. III, 18.

4. Πνεῦμα Ἰησοῦ χριστοῦ,

(quo nomine et divina et humana natura Salvatoris exprimitur), ut conjunctio illius integra cum Salvatore significetur:

Scio enim, quia hoc mihi provenit ad salutem per vestram orationem et subministrationem Spiritus *Jesu* Christi Philipp. I, 19.

5. Πνεῦμα κυρίου,

quando opera perficit, quae supremum Jesu dominium manifestant. Act. VIII, 39. II Cor. III, 17.

VI. Spiritus: πνεῦμα[5]) tum potissime nominatur, quando *ex propria sua persona* agit et opera (imprimis sanctificationis) perficit, quae ipsi propria sunt.

---

1) Jesus cum ipse Deus, Spiritus sanctus autem cum verbo essentialiter conjunctus esset, ex divinitate et essentia eum possedit (cf. *Greg.* Moral. l. II. c. 27). Non ita homines. Bene igitur observat *Petavius* de Trinit. l. VIII. c. VII. n. 13. homines non πνεύματα vocari, sed πνευματικούς, Christum vero non θεῖον, sed θεὸν et πνεῦμα.

2) Ita fere semper nominatur ap. Jacob. Nisib. vide praecipue Serm. VI. de Devot. n. 11. sq.

3) *D. Thom.* in Rom. VIII, 1.

4) Vindicias hujus loci scripsit erudite Bernardus Maria de Rubeis Ord. Praed. de tribus in coelo testibus adv. Crellium aliosque. Novissime hunc locum firmis argumentis tutavit *Cl. Perrone* Dogm. tom. II. p. 294.

5) Leve tantummodo discrimen inter πνεῦμα et τὸ πνεῦμα, gravius aliquando τὸ πνεῦμα dicitur; non vero recte a quibusdam affirmatur πνεῦμα spiritum humanum, τὸ πνεῦμα divinum significare.

Τὸ *πνεῦμα* spiritum divinum significare, maxime perspicuum est ex Act. X, 19. VIII, 29.

Ex propria persona agentem Spiritum sanctum *πνεῦμα* vocari, clarissime videre licet ex Rom. VIII, 16. 26. 27. I Cor. II, 10. XII, 4. 7. 11. cf. II Cor. I, 22. XI, 4. Gal. III, 2. I Thessal. V, 19. Joan. III, 3. 5. Matth. IV, 1. (Marc. I, 12. Luc. IV, 1.) Matth. XXII, 43. (ap. Marc. XII, 36. *ἅγιον πνεῦμα*) Luc. IV, 14. Apoc. II, 11. 17. Vi quadam pronunciatur *τὸ πνεῦμα* de Spiritu inspirante I Timoth. IV, 1.

ἁγιασμὸς πνευματὸς I Petr. I, 2. (ubi non est dubium, *πνεῦμα* significare spiritum sanctum.)

Haec sunt praecipua loca, quibus *πνεῦμα* divinum spiritum significat; plurimis aliis, ubi idem vocabulum occurrit, Spiritum finitum vel hominis vel Angelorum designat.

Quamvis illos, quos adduximus, loquendi de Spiritu sancto modos discrepare ab invicem non primo intuitu pateat (neque idem est omnibus sacris scriptoribus loquendi usus), tamen acrius inquirentem latere non potest. Ideo a Patribus differentia eorum observata est. Operae autem pretium est, eos distincte discernere, quoniam ad enucleandam *relationem* Spiritus ad *Patrem et Filium*, et ad investigandam *propriam* illius *operationem* magnam lucem afferunt. Totam fere *Ecclesiae Catholicae de Spiritu sancto doctrinam ex his diversis nominibus* colligere licet, quod neque nostri instituti, neque propositi est.

Tandem ad nomen pervenimus, quod substantialem Spiritus sancti cum humano spiritu conjunctionem exprimit, in qua communione investigabilis Dei bonitas cognoscitur et amor, quem in initio hujus inquisitionis Spiritum diximus, clarissime manifestatur. Dicitur Spiritus sanctus:

§. 5.

Donum.

„Si scires donum Dei“ (*δωρεὰν τοῦ θεοῦ*), dixit Jesus mulieri Samaritanae, „et quis est, qui tibi dicit: Da mihi bibere; tu forsitan petiisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam,“ Joan. IV, 9. 10. salientem in vitam aeternam. Donum hoc est ipsa viva aqua [1]), vel ut ex Joan. VII, 38. elucet, Spiritus sanctus, quemadmodum Patres latini interpretati sunt. Non enim qualecunque donum indicat, sed *τὴν δωρεὰν* dicit, et *τὴν δωρεὰν τοῦ θεοῦ*, ut singulare quoddam et Deo proprium donum monstret. Cf. Act. X, 45. (text. Graec.) XV, 8. 9. Rom. V, 5.

---

1) Hanc aquam sitivit anima David. Harum fontem aquarum desiderabat cervus, non sitiens venena serpentum. Viva enim est aqua gratiae spiritualis, eo, quod mentis interna purificet et omne animi peccatum abluat, occultorumque mundet errorem. *S. Ambros.* de Sp. S. I, 19.

Ut hujus nominis vim investigemus, primum in notionem ipsam inquiremus, tum modum praesentiae vel rationis, qua nobis Spiritus Sanctus donum est, quantum humanae infirmitati licet, explanabimus; denique quae hoc donum praecedunt, quae illud sequuntur, enarrabimus.

I. Proprietatem Spiritus Sancti S. Augustinus in eo consistere confirmat, ut non quomodo natus, sed quomodo datus exierit, Trinitat. V, 14. (quo quidem loco Petavius de Trinitat. lib. VII. c. 13. n. 19. sq. donum = donabile existimat, quod ex VIII, 3. IV, 20. et V, 15. colligit), et doni nomen cum caeteris S. Bonaventura [1]) ita componit: Cum proprium sit Spiritus sancti esse donum, esse nexum seu charitatem amborum, esse etiam spiritum sanctum, donum nominatur, ut datum *voluntarium*; charitas sive nexus ut datum voluntarium et *praecipuum*; Spiritus sanctus ut datum voluntarium praecipuum et *hypostaticum* [2]).

Quamvis igitur nobis Spiritus sanctus secundum *respectum aliquem ad creaturas* donum nominari videatur, tamen importat hoc nomen auctoritatem quandam principii, et ita non sine omni respectu ad aeternas atque internas relationes dicitur. Nam illa solummodo Personarum dari in divinis proprie dicitur, quae mitti potest, mittitur autem, quae procedit et ab illo mittitur, a quo procedit. Apparet igitur [3]) relatio, cum dicitur donum Dei; donum autem est Patris et Filii, quia et a Patre et a Filio procedit. Donum ergo donatoris et donatorem doni cum dicimus, relative utrumque ad invicem dicimus [4]).

Verum non relatio in communi solum, sed modus quoque relationis hoc nomine exprimitur. Amoris enim proprium est dare; sicut intellectus dicere. Itaque proprie Spiritus sanctus donum vocatur, non Filius, qui per intellectum procedit. Perfectus amor dat se ipsum, hoc est, communicat; sed cum omnes modi accidentales in creaturis propter infinitatem essentiae reales sint in Deo, Spiritus sancti persona, quae terminus est et signum et testimonium voluntatis amantis amborum, donum vocatur. — Qui praeterea se ipsum dat, non amplius se habet, sed in altero possidet, quamvis ipse per se existat; se ipsum autem dat mutuo Pater et Filius ex essentiali amore ad personalem amorem, qui est Spiritus sanctus, et in hoc alter alterum possidet et ipso fruitur.

Etsi igitur in doni conceptu proprietas Spiritus aeterna apparet, tamen haec explicatio nimis artificiosa et longe repetita vi-

1) Breviloqu. P. I. c. III. p. 10.

2) *Hilar.* Trinit. lib. II. n. 1. n. 33. et fere semper *muneris* nomine Spiritum sanctum designat. De doctrina S. Hilarii de Spiritu sancto vid. *S Augustinum.* Trinit. VI, 10.

3) *S. August.* Trinit. V, 11. cf. *Fulgent.* Resp. I. ad Ferrand. Diac. p. 237.

4) Cf. *Hugo Vict.* de Sacram. lib. I. P. III. c. XXIV. p. 368.

detur; quam ob rem habitudinem quandam ad creaturam et 1. *donabile* et 2. *donandum* creaturis significare[1]), arbitramur. Nam licet non sit, cui donetur, tamen Donum Dei, quod est Spiritus sanctus, coaeternum et consubstantiale donatori donabile fieri poterit. — Et hoc utique donum Dei occultum fuit ab aeterno in Patre et Filio, manifestandum opportuno tempore, dum essent, quibus manifestari deberet[2]) et antequam esset Angelus vel homo, cui daretur, jam sui natura donabile donum erat, quia charitas et amor est[3]).

Omnis enim liberalis collationis ratio amor est. Quod propter cupiditatem datur, vel propter timorem, non liberali donatione datur, sed talis datio magis dicitur quaestus vel redemptio. Quia igitur Spiritus sanctus est amor, ex ratione suae processionis habet in se, et quod detur et quod sit ratio dandi[4]).

Sempiterne igitur Spiritus donum temporaliter donatum dicitur[5]), quoniam *donum* tempus omnino non respicit, datum autem tempus consignificat[6]).

Igitur Filius quidem datus est nobis, quum nobis puer natus est, et dedit se pro peccatis nostris; atque mortem perpessus usque ad consummationem saeculi unicuique se dat in S. Sacramento altaris; et sancta Trinitas dari quodammodo dici potest, si in animo hominis mansionem facit, aut beatis spiritibus sese dat, ut ipsa fruantur. Spiritus Sanctus autem proprie datur[7]). Cur enim quaeso, ait Richardus à S. Victore[8]), dicitur: Per Spiritum

1) *S. Bonavent.* in I. Sentent. D. XVIII. A. I. Q. II.

2) *Alcuin.* de fid. Trinit. lib. II. c. XX. (ed. *Frob.* tom. I. p. 723.)

3) *S. Ambros.* Serm. in Pentecost. tom. V. p. 79.

4) *D. Thom.* in I. Sent. D. XVIII. Q. 38. a. 2. cf. P. I. §. 2. a. I.

5) *S. Aug.* Trinit. V, 15.

6) *D. Thom.* et *S. Bonav.* l. c.

7) Spiritus sanctus nobis tantum, non Patri et Filio donabilis processit, sicut et nobis tantum datus est. Et Filius vere datus est nobis et ab aeterno processit a Patre, non ut donabilis tantum, sed ut genitus, qui et donari posset. Processit ergo ut genitus et donabilis; sed Spiritus non procedit ut genitus, sed tantum ut donum: donum autem semper fuit, non solum quia donabilis, sed quia processit ab utroque et donabilis fuit. *Magist.* Sentent. P. I. D. XVIII.

8) De Trinit. lib. VI. c. 14. vide P. I. §. 2. a. III, de *gratuito* et *debito* amore. Verumtamen, quamquam haec distinctio inter debitum et gratuitum amorem, quam *Richard* de SS. Trinitate disserens statuit, ad explicandam menti nostrae personarum differentiam idonea est, tamen a parte rei (*objective*) nulla est. Nam debitum et gratuitum, lex et officium in rebus creatis solum inveniuntur; in Deo omnia necessaria, quae ad essentiam et vitam internam spectant. Ceterum haec necessitas summa (interna et externa) libertas. Itaque rhetorice egregie dictum philosophice non magni faciendum est.

sanctum gratia diffusa est in cordibus nostris magis, quam per Patrem et Filium? Sed scimus, quia Pater auctorem non habet, unde nonnisi gratuitum amorem habere valet. Filius autem habet amorem tam gratuitum quam debitum. In divino itaque amore proprietati filii, vel proprietati patris conformari non possumus, quia simul utrumque, aut saltem solum gratuitum amorem erga Deum habere non valemus. Ad hoc namque homini datur, ad hoc illi inspiratur, ut illi inquantum sibi possibile est, configuretur. — Mittitur autem haec datio vel datur haec missio simul et pari modo a Patre quam a Filio[1]). Atque a Patre et Filio, si simpliciter fruendus datur, mitti videtur, quoniam mitti subauctoritatem indicat, donat ac se ipse mittit, si gratiarum auxilio adest, quoniam aliquando mitti in divinis significat adesse in subjecto modo aliquo singulari, et novo[2]). Ista donatione Spiritus sanctus limitibus minime includitur[3]). Nam Filius non ideo minor Patre, quia, quae audivit ab eo, locuturus in mundum missus est, neque ideo non vita (ἄβιος), quia Pater vita, et ipse vitam a Patre accepit; eadem enim divinitas in utroque, sicut etiam in Spiritu sancto; eadem divina natura ille generat, hic generatur, illi spirant, hic spiratur, eadem divina voluntate illi mittunt, hic mittitur: Deus trinus et concors et unus.

Quamvis igitur et Seraphim missus dicitur[4]), sed Seraphim ad unum, Spiritus ad omnes: Seraphim mittitur in ministerium, Spiritus operatur mysterium: Seraphim, quod jubetur, exsequitur; Spiritus, quod vult, dividit. Seraphim de loco ad locum transit; at vero de Spiritu sancto hoc non possumus existimare[5]).

Hinc efficitur, ut Cl. Petavii[6]) verbis dicta colligam: „proprie Spiritum Sanctum Dei esse donum, eamque personae illius esse notam, quam ex processionis suae peculiari modo consequitur. Nam quia ex amore procedit et amor est, amorisque, quo

---

1) Utrum Spiritus sanctus se ipsum donet, an a Patre et Filio tantummodo donetur, magna inter Doctores lis versatur.

Spiritum ut donum mittere se inquantum Deum sentiunt: *Albert. Magn. Mag. Sentent. Petrus de Taran.* I. Sent. D. XV. Q. 5. et 8. *Richard.* ib. q. 2. a. 2. et q. 1. a. 3., quibus propter auctoritatem *S. Aug.* et Magistr. assentitur *S. Bonaventura* ib. D. XV. P. II. Q. IV., quamvis propter rationem in contrarium inclinet. *S. Thom.* ib. a. 3. utramque opinionem probat. *Alex. Alens.* P. I. Q. 72. membr. 1. et *Scot.* in I Sent. D. XIV. et XV. Q. unic. rem in medio relinquunt.

2) Praeclare de *missione* et *revelatione S. Bonavent.* Breviloq. P. I. c. V. p. 11. Cf. *Fulgent.* ad Monim. lib. II. c. VI—XIII.

3) Cf. *Fulgent.* l. c. c. VI. p. 80. de Trinit. c. VI. p. 561.

4) *S. Ambros.* Trinit. I, 7. cf. ad h. l. *Hugo Vict.* Summ. Sent. Tract. I. c. V. p. 301.

5) Cf. *Didym. Alex.* Sp. S. c. XXV. XXVI.

6) De trinit. lib. VIII. c. III. n. 5.

se Deus ceteraque amat omnia, fructus: ideo primum illud donorum omnium in creaturas impenditur, eaque donatio gratuita et libera est, nullis redempta meritis, nullis precibus eblandita, quoniam pios omnes animorum motus antecedit coelestis ille Spiritus afflatus, quo ad virtutem erigimur." —

Omne enim donum perfectum et datum optimum a patre luminum est, qui spontaneo nos amore diligit. Et quomodo illum mereri possimus, cujus gratia Deo accepti efficimur, quomodo illum precibus efflagitare, qui cognoscitur tantum, si habetur, qui enim de mundo sunt, non cognoscunt illum; qui quaeritur, si ipse omnia vana esse ostenderit, qui exoptatur, si ipse rerum coelestium amorem animae infuderit?

II. Novo Testamento est proprium, in quo Spiritus Sanctus donum detur, quod Jesus morte acerbissima meruit et sui amoris signum nobis reliquit.

Quod enim Evangelista dicit: *Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus*, Joan. VII, 39. ita intelligitur, certam illam Spiritus sancti dationem vel missionem post clarificationem Christi fore, qualis nunquam antea fuerit. Neque enim antea nulla fuerat, sed talis non fuerat. Si enim antea Spiritus non dabatur, quo impleti prophetae locuti sunt? cum aperte Scriptura dicat et multis locis ostendat, Spiritu sancto eos locutos fuisse; cum et de Joanne Baptista dictum sit: Spiritu sancto replebitur jam inde ab utero matris suae (Luc. I, 15.); et Spiritu sancto repletus Zacharias invenitur pater ejus, ut et de illo talia diceret (v. 76.); et Spiritu sancto Maria, ut talia de Domino, quem utero gestabat, praedicaret (Luc. I, 46.); Spiritu sancto Simeon et Anna (II, 25.), ut magnitudinem Christi parvuli agnoscerent; quomodo ergo Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus? nisi quia illa donatio vel datio, vel missio Spiritus sancti habitura erat quandam proprietatem suam in ipso adventu, qualis antea nunquam fuit[1]? Ut vero rem diligentius exploremus, opus est, ut diversa scripturae sacrae loca a Spiritus promissione, usque ad adventum ejus splendidum componamus; ut doni illius supremi imago, ipso Spiritu depicta, formam et naturam oculis nostris sponte quasi explicet. „Expedit vobis," dicebat Salvator noster Apostolis, quum hora mortis ejus adesset, „ut ego vadam; si enim non abiero, *Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.*" Joan. XVI, 17., quibus verbis Spiritum sanctum nondum adesse, affuturum autem, si ipse mortuus fuerit, aperte ostendit. Neque vero modum denotare omisit, quo affuturus sit, dicens: „Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum Veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et *in vobis* erit." Joan. XIV, 17. 18. Et convescens praece-

1) *S. Aug.* Trinit. IV, 20.

pit Apostolis, ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, „quem audistis," inquit, „per os meum; quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizamini Spiritu sancto non post multos hos dies." Act. I, 3—6. Nec vana Domini promissio, neque irrita Apostolorum exspectatio. Repleti enim sunt die Pentecostes omnes Apostoli Spiritu sancto Act. II, 4., quemadmodum Joël II, 28. sq. praedixerat. Haud longe post cecidit Spiritus sanctus super Cornelium et omnes, qui Petrum audiebant Act. X, 44., sicut super Apostolos initio XI, 15., obstupescentibus ex circumcisione fidelibus, qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritus sancti (δωρεὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος) effusa est. 45.: "Qui vero novit corda testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut et nobis, et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum." Act. XV, 8. 9. Et Apostoli, sicut Jesus praedixerat, non aqua solum, sed Spiritu baptizabant. Cum enim Paulus veniret Ephesum et inveniret quosdam discipulos, dixit ad eos: Si spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt: Sed, neque si Spiritus sanctus est, audivimus. Ille vero ait: in quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt in baptismate Joannis. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit *baptismo poenitentiae* populum, dicens: in Eum, qui venturus est post ipsum, ut crederent, hoc est, *Jesum*. His auditis baptizati sunt in nomine Domini *Jesu*. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos et loquebantur linguis et prophetabant. XIX, 1—8. Discreta hoc loco est impositio manuum a baptismate, et ista Spiritum datum esse Evangelista enarrat. *Confirmationis* igitur *sacramento* lege ordinaria Spiritus datur, ut S. Ecclesia profitetur. Quod quidem sicut plura ad nostram rem spectantia ex Act. capite VIII. colligere licet. Cum enim audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui quum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini *Jesu*. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum sanctum. Cum vidisset autem Simon (Magus), quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum est in perditionem, quoniam donum Dei (τὴν δωρεὰν τοῦ θεοῦ) existimasti possideri.

Ex quibus locis concludimus:

1. post Christi demum mortem et ascensum in coelos Spiritum datum esse,

2. per manuum impositionem, vel confirmationem in Ecclesia semper dari,

3. atque ita dari, ut *in* nobis sit.

Nam Deus dedit Spiritum suum sanctum *in* nobis (εἰς ἡμᾶς) I Thess. IV, 8. Cum benignitas et humanitas Salvatoris nostri

Dei apparuerit, non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus, quem *effudit in nos abunde* per *Jesum* Christum salvatorem nostrum Tit. III, 4—7. Ideo admonet Apostolus: nolite *inebriari vino*, in quo est luxuria, *sed implemini Spiritu sancto* (πληροῦσϑε ἐν πνεύματι) Eph. V, 8. quo loco doni notio clarissime elucet. Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Rom. V, 8. Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater) Rom. VIII, 14. 15., hunc misit Deus in *corda nostra.* Gal. IV, 6. Et ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus Filii Dei Rom. VIII, 17. Ipse adjuvat omnem infirmitatem nostram et postulat in nobis pro nobis gemitibus inerrabilibus. 26. 27. Ipso signati sumus in diem redemptionis, quem ne contristemur admonet Apostolus Eph. IV, 30. Propterea *templum Dei sumus et Spiritus Dei habitat in nobis.* I Cor. III, 16. VI, 19.: (an nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo et non estis vestri? II Cor. VI, 16. in Christo et vos coaedificati estis in habitaculum Dei in Spiritu Eph. II, 22.).

Tot locis simul collectis et comparatis procul dubio efficitur, Spiritum sanctum *substantialiter* (οὐσιωδῶς) animae in novo Testamento praesentem esse, quod quidem, qui Christianam vitam noverit, nemo negaverit. In Patribus vero veteris testamenti tantummodo secundum operationem alicujus virtutis (κατ' ἐνεργείαν) aderat. De utriusque modi autem discrimine postea dicemus, quam substantialis praesentiae naturam clarius perspexerimus.

Unionem itaque illam non esse φυσικὴν, neque ὑποστατικὴν, sed esse κατὰ μετοχὴν vel κατὰ συναφείαν et μέϑεξιν σχετικὴν Patres Graeci affirmant ac declarant[1]) et ad haec SS. Patrum verba inquisitionem nostram dirigemus, ne in tam subtili ac sublimi re a vero aberremus.

Unionis igitur naturam explorantes unitates substantiae et formae, totius et partium (quantitativam) et unitatem numericam cogitatione percurrere ac perlustrare opus non est, quoniam ad explicandam illam, quam investigamus, nihil conferunt. Reliquas autem possibiles *naturarum* et personarum unitates et uniones comparemus oportet, ut propius ad intelligentiam hujus accedamus. Quarum seriem a summa et ab ima exponere aggredientes, forsitan mediam illam, quam quaerimus, vel ipsam vel ejus similitudinem inveniemus.

Summa itaque unitas, *realis* atque essentialis in SS. Trinitate constat. Differunt quidem tres personae relationibus inter se, sed non differunt ab essentia, quae tribus una. Sunt ergo iidem,

---

1) *Petav.* Trinit. lib. VIII. c. VII.

idem, unus. Perfecta unitas et ***identitas*** **in Trinitate. Haec unitas inexplicabilis sola in S. Trinitate invenitur, nusquam alias; atque unitatem illam nominare oportet, non unionem. Huic proxima est unio** ***hypostatica Verbi cum homine.*** **Perfecta diversitas (discrepantia infinita** ***humanae*** **naturae a** ***divina***) **et perfecta unitas in superiori (*****Verbo*****). Homo neque interne neque externe sui juris; natura, non persona; omnino dependens a Filii persona. Una persona,** ***duae*** **naturae. Neque in hoc gradu quaesitam unionem invenimus, unus enim Christus, non plures et nos, quamvis uniti Spiritui sancto, tamen distinctae ab ipso personae.**

Ad terrenas itaque uniones descendentes ab infima et maxime soluta exordiamur, ut ascendentes inde medio iterum appropinquemus. Morali unitate seu unione amicus amico vinctus est. Junguntur benevolentia, quae vel ex necessitate oritur, vel, quod bonum, pulchrum aut aliquam aliam ideam realiter alter in altero expressam videt ac diligit, vel denique ex mutuo Dei amore, quo arctissime sibi invicem in Deo devinciuntur. Similitudo (unitas naturae vel proprietatum) amore conjuncta (unitas amoris). Inde animorum, cogitationum, voluntatum communio, non *vitae*. Vitae, corporalis et animae, internae et externae, necessitatum et abundantiae, facultatum, bonorum, jurum et officiorum, totius hominis cum integro homine copulatio et communio, ad novam vitam hominibus et Deo generandum (*procreatio-educatio*) ab hominibus conjuncta, a Deo firmata, in *matrimonio* conspicitur. Mysterium hoc magnum. Qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit. Erunt duo in carne una Eph. V, 28. 31. cf. I Cor. VI, 16. Haec aliqua similitudo, non omnibus partibus absoluta. Sacramentum hac magnum, ego autem dico in Christo et Ecclesia. Eph. V, 32.

Jam ad mediam rem pervenimus. Inter ***hypostaticam*** **unionem et matrimonii moralem sita est unio** ***Christi*** **et** ***Ecclesiae*****, similis utrique, dissimilis ab utraque. Despondi enim vos, uni viro virginem castam exhibere II Cor. XI, 2. Apoc. XIX, 7. sq. XXI, 2. 3. XXII, 17. Dilexit Ecclesiam Christus, et seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, 25. nemo enim unquam carnem suam odio habet, sed nutrit ac fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam. 26. Eph. V. Qui Domino adhaeret, unus Spiritus est. I Cor. VI, 17. Membra sumus corporis ejus de carne ejus et de ossibus ejus Eph. V, 30. I Cor. VI, 15. Col. I, 23. 18. II, 19. Ideo unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno participamus. I Cor. X, 17. Col. III, 15. Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum multa sint, unum tamen corpus sunt, ita et Christus 12. Etenim in uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus et omnes in uno Spiritu potati sumus. I Cor. XII, 12. 13. Rom. XII, 5. Hoc minime in figura dictum quis opinetur: sed revera Christus in Ecclesia; Ecclesia et quicunque ipsi adhaeret, in Christo.**

Ut autem ad fontem hujus mysterii accedamus: jungitur singulis Christus, totus cum toto, totus cum singulis et cum omnibus totus in S. Sacramento Altaris. «Si quis enim manducaverit ex hoc pane,» ait, «vivet in aeternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro vita mundi. 52. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die. 55. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, *in me manet et ego in illo.* 57. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me.» 58. Joan. VI. «In illo die cognoscetis, quia Ego sum *in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.*» Joan. XIV, 20. Ita umbra quaedam *unitatis*, quae est in S. Trinitate, similitudo fere plena unionis *matrimonialis*, intima *amicitiae* copulatio in hac Christi cum Ecclesia unione conspicitur, ab hypostatica solum unione prorsus aliena.

Ista vero Christi cum Ecclesia conjunctio aptissima Spiritus cum anima unionis imago; immo congruens atque respondens, quoniam ejusdem naturae, cum Spiritus sit idem Deus [1]).

Est haec unio non essentiarum, quae distinctae semper manent, sed operationum quaedam mixtio et commercium. Pervius enim totus homo, ut creatura, creatori. Respicit eum Deus (renes et corda scrutatur) et vi voluntatis eum pervadit. (Velle et perficere operatur; ipsi non sufficientes sumus, bonum aliquid cogitare, tanquam a nobis etc.) Non facultates et vires animi solum, sed animum ipsum implet, et profundae animi abysso sese immergit; essentiam ipsam replet ac possidet [2]). Propterea *essentialiter* (οὐσιωδῶς) nobis praesens dicitur; nam nos mutamur, si quo modo peculiari nobis praesens est, non ipse. Deus semper idem: aeternus. Et vicissim ab homine possidetur, cognoscitur intellectu (aliquando solus), amatur voluntate (aliquando solus), omnes hominis intentiones ab ipso ligantur, omnes actio-

---

1) Si haereticum ad explanandam illius unionis rationem afferre licet, praeter communicationem idiomatum (quam et ipse fraudulenter tantummodo admisit) omnes hujus unionis proprietates *Nestorius* Christo adscribebat, quas acuto ingenio delineavit, haereticus sane Aristotelico ingenio et superbia scientiae et vitae.

2) Cf. P. I. §. 1. n. II. Haec substantialis cum homine unio ita est Deo propria, ut Didymus Alex. divinitatem Spirit. S. ex ea deducat: Est capabilis et ideo aeternus — *capabilis* substantia, quae capitur a pluribus et eis suum consortium tribuit, *capacem* vero eam, quae communicatione substantiae alterius impletur, et capiens aliud ipsa non capitur ab alio. *Capabile* quippe statim inconvertibile et inconvertibile aeternum est consequens: quomodo e contrario capienti convertibile et convertibili aeternum est subsequens. de Sp. S. c. XII. De conjunctionis diverso modo vid. *Basil.* Sp. S. XXVI. n. 62.

nes in ipsum tendunt et ab ipso diriguntur, ita ut sit cibus hominis, Dei voluntatem perficere. Anima hunc in modum cum Deo unita non esurit, non sitit, pacem, quam mundus dare non potest, pacem Jesu Christi et vitam aeternam invenit. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, praeparavit Deus iis, qui diligunt eum; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Non enim Spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum ejus, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis. I Cor. II, 10—12.[1]) Hanc unionem anima Deum amans omnibus viribus intendit, hanc summo ardore expetit et omnibus votis exoptat. «Anima mea inquieta est, donec requiescat in te.» Creatura enim a Deo creata ad Deum creata est: ille objectum adaequatum et voluntatis et intellectus omniumque facultatum.

Inordinatus *creaturae* amor, quo creatura creatori praefertur, gignit anxietatem, moerorem, perturbationem, et si Deus gratiam subtraxerit, mortem, in qua anima prorsus a Deo vacua (ἔρημος) est. Sed nec ordinatus creaturarum amor animae immortalis desideria explere potest. Quaerit instinctu naturali *summum bonum;* Creaturae vero singulae singulas bonitate antecellunt: scientiae meliores quam divitiae, virtutes quam scientiae; ita fit, ut anima summum bonum appetens, ab alio bono ad aliud, nullo con-

1) Conf. *Tatian.* Orat. contr. Graec. n. 15. *Theoph.* ad Autol. II, 9. *Hippolyt.* Serm. in S. Theoph. n. VIII—X.

2) Neque ideo Spiritus sanctus in creaturam transmutatur, neque creatura in Deum transit. Sunt vero unum, sicuti Pater et Filius unum sunt. Minime vero illi mystici, immo omnes mediae aetatis scriptores Pantheismi arguendi sunt, qui de deificatione aut transformatione animae in Deum locuti sunt; bene enim animadvertendum, quomodo formam definierint. Nostris quidem temporibus infidelitas Pantheismi formam assumsit, sed transfigurat se in angelum lucis, ut incautos decipiat; si enim verba Christiane sonantia removeris, gentium incredulitas regnat eum in modum, ut Platon et Aristoteles, licet gentiles, rectius de Deo dixerint, quam quidam nostris temporibus, quos proh! dolor, magna pars nostrae gentis sequitur. Sed portae inferi non praevalebunt adversus Ecclesiam Dei. Quamvis igitur laude dignum sit, contra Pantheismum pugnare, tamen lugendum, quod quidam e nostris theologis, nimio studio abrepti, etiam bene catholicos Scriptores pantheismi condemnant; et ubique hoc spectrum, quod debellare sibi proposuerunt, vident. Sed bene cogitent, infidelitatem illam esse apertum Ecclesiae inimicum, neque ideo tam magnum ex ejus incursu periculum imminere, tepiditatem autem fidei esse intestinum malum Ecclesiae, quod ipsi magis nocet, quam superbissimi inimici; contra hanc esse arma vertenda, et fidem sanam, sinceram, simplicem et firmam esse nutriendam. Credenti omnia possibilia sunt. Quousque tandem unusquisque, quod sui est, quaeret, et non, quod Dei et Ecclesiae! Utinam omnes hanc matrem, hunc patrem sequerentur?

tenta, deducatur. Quum praeterea in omni bono creato reperiantur defectus, qui animum, summe perfectum desiderantem, repellunt; ideo neque in amicitia, quae voluptatem inter omnes nobilissimam affert, quies reperitur, quod amicus a manca et vitiosa hominis natura omnino liber, frustra quaeritur. Solidissima intereunt, evanescunt certissima, carissima eripiuntur; res mutantur, anima ipsa varietati est obnoxia, ac tandem ut omnia relinquat, morte cogitur. In rebus igitur creatis anima stabile non invenit, quo aeterne fulciatur, quod nec fures eripere, nec tinea perdere possit. Deus solus summum bonum, et quidquid bonum, in ipso bonum.

Expetit praeterea anima, quamvis saepe ipsa nesciat, *felicitatem perfectam*. Omnia amantur, quoniam aut bona aut dulcia. Verum voluptates terrenae, plerumque propter exiguitatem et exilitatem contemnendae, quo magis augentur, eo prius taedium afferunt, ac se ipsae quasi destruunt. Tristitia cum ipsis fere semper sociata: summam laetitiam tristitia vel moeror sequitur, interdum concomitatur, ita ut pectus tristitia onustum gaudium simulet, ut miserae suae conditionis obliviscatur. Denique si cupiditatum tuarum imperium non obtines, quo raperis? Varii non minus affectus, quam nubes coeli et undae maris, compulsae diversis ventis. Perpetuum mobile non in rebus physicis, sed in anima invenitur, quae in caducis fragilibusque rebus felicitatem quaerit. Quomodo *nihil* sitim ardentem sedare potest? Nihil est in rebus, quod possit replere creaturam factam ad imaginem Dei, nisi charitas Deus, quia solus major illa est[1]).

Invento autem Deo omnia, quae desiderat, optat, poscit, obtinet, ita ut recte S. Augustinus dixerit: Quid amo, cum Deum meum amo, certe non exteriora, sed amo quandam lucem, et quandam vocem, et quendam odorem, et quendam cibum, et quendam amplexum interioris hominis mei: ubi fulget animae meae lumen, quod non capit locus, ubi sonat verbum, quod non capit tempus, ubi olet odor, quem non spargit flatus, ubi cibus, quem non minuit edacitas, ubi haeret amplexus, quem non divellit societas. Haec amo, quum Deum meum amo[2]). Et unione illa *veritas*, quae relicto Deo relinquitur, restituitur et recuperatur. Absoluta enim hominis a Deo dependentia totam existentiam, et existentiae durationem, et essentiae formam et qualitates a Deo recipit, ut nihil sit, nisi a Deo. Si ergo sese annihilat coram Deo (humiliat sub potenti manu Dei), non existentiam suam tollit, in quam jus exercere non potest, sed propriam voluntatem, quam ut tollat, officio tenetur, et libere efficit, quod naturalis conditio postulat. Amor veritatem restituit[3]).

---

1) S. *Bernard.* Cant. Cant. Serm. XVIII. n. 1.

2) Conf. lib. X. cap. VI.

3) Cf. S. *Bonavent.* Breviloq. P. IV. c. I. p. 32. (tom. VI.).

«Si igitur homo summo bono humili dilectione servit, ejus participatione beatus est,» inquit Fulgentius[1]; «creaturae quippe rationalis alia beatitudo nec potuit, nec potest esse, nec poterit, nisi ut agnoscens, a quo non solum facta, sed etiam a quo rationalis est facta, majorem dilectionem exhibeat bono creatori quam sibi. Neque enim ei inesse posset ullatenus ratio, nisi ei posset creatoris inesse dilectio. Quia nec est alia, quae vera sit sapientia vel intelligentia creaturae rationalis, nisi dilectio creatoris, in qua tanto magis minusve est dilectio sui, quanto magis minusve dilectionem suo exhibet creatori. Voluntas porro creaturae rationalis sine qualicunque amore non potest esse. Nec sic potest diligere, ut amorem suum non velit ad aliquid religare, quae inter summum bonum, a quo creata est, et infimum bonum, cui praelata est, medio quodam loco posita, profecto aut in infimo bono necesse est miserabiliter jaceat, aut in summo bono veraciter feliciterque requiescat. Quodam etenim amore rapitur, seu cum obedientia sublevatur, et creatori bono bene subjicitur: sive cum superbia deprimitur, ut creaturae bonae male dominetur. Sicut enim fit elatione humilis, sic fit humilitate sublimis.»

Unio itaque illa cum Deo Spiritu ineffabilis necessaria est, ut anima in veritate, felicitate ac quiete permaneat. Gaudium enim et amorem idem Spiritus operatur; amorem quando requirimus; gaudium, quando possidemus. Ipsum vero desiderium sine gaudio esse non potest; neque ipsa adeptio sine amore[2]).

Spiritus sancti vero donum est supra omnem modum donum. Datur enim aliquid habendum vel possidendum; habetur autem vel possidetur, quum est in facultate habentis vel possidentis. Esse autem in facultate habentis vel possidentis est, praesto esse ad *fruendum* et *utendum*. Perfecta autem possessio est, cum homo habet, quo possit uti et quo possit frui. Sed recte frui non potest, nisi Deo, et recte uti non convenit, nisi per gratiam gratum facientem; ergo perfecta possessio est, in qua ipse habetur et ejus gratia. Sed perfectum donum est ad perfectam possessionem, ergo non est datum optimum et donum perfectum, nisi datur donum increatum, quod est Spiritus sanctus, et donum creatum, quod est gratia[3]). Verumtamen non in cunctas animas Spiritus, sese communicaturus, intrat; non anim habitat in corpore subdito peccatis (Sap. I.)[4]): sicut oleum fragrans, dicit aliquis, nonnisi in vas immittere potes, quod omni luto purum est, ita Spiritus sanctus animam tantum illam visitat, quae et a se ipsa et a mundanis rebus est vacua. Triplici

1) Ad Monim. lib. I. c. XVIII. p. 57. 58.

2) *Hugo Vict.* Miscell. lib. I. c. III. (tom. III. p. 92.) cf. supra P. I. §. 3. n. VI. P. II. § 1. n. IV.

3) S. *Bonavent.* in I. Sentent. D. XIV. a. II. q. II.

4) Cf. *Origen.* in Joan. tom. XXVIII. n. 13.

igitur modo Spiritus animam ad recipiendum se praeparat, incutiens, ut ait Bernardus [1]), compunctionem terrore, dein dulcedine quadam *spei* eam replens, per quam fiducialiter nihil haesitantes postulemus (*supplicatio*) et tandem *remissionem* advocatus apud Patrem afferens. Ὁ μὲν οὖν πρῶτος στάθμος ἡ μετὰ φόβου διδασκαλία, δι' ἣν ἀπεχόμεθα τῆς ἀδικίας· δεύτερος δὲ ἡ ἐλπὶς, δι' ἣν ἐφιέμεθα τῶν βελτίστων· τελειοῦ δὲ ἡ ἀγάπη, ὡς προσῆκόν ἐστι, γνωστικῶς ἤδη παιδεύουσα [2]). « Siquis, » inquit S. Antonius [3]), « exuerit omnem pulverem hujuscemodi materiae et abrenuntiaverit ei et omni operationi ejus ex toto corde, expanderit manus cordis sursum ad universorum Patrem et ipse visceribus moveatur circa laborem ejus et donat ei invisibilem ignem, qui comburat omnem immunditiem ab eo et principalem ipsum expurgans; tunc Spiritum sanctum faciet habitare nobiscum et sic possumus habitare apud Patrem sicut oportet. »

Haec igitur unio quum praecipue superioribus animi facultatibus perficiatur, necesse est, ut inferiores vel omnino quiescant, vel e ratione recta pendeant (*justitia* originalis). Utrumque autem mortificatione perficitur, qua omne, quod Deo contrarium est ac dissimile, exstinguitur. Tollat unusquisque *crucem* et sequatur Dominum. Solum sub cruce Spiritus Domini invenitur. Humilitas vero ex illis, quae supra diximus, sequitur, ut sit conditio (si ita loqui licet) negativa praesentiae Spiritus sancti. Licet ipsa donum Spiritus sit et ad recipiendum et possidendum Spiritum ea idonei reddamur, etenim Spiritus humiles, quibus dat gratiam, ante datam gratiam humiles non invenit, sed dando gratiam humiles facit, et hanc ipsam gratiam Deus per gratiam donat, ut quisquis eam acceperit, humilis fiat [4]): tamen per humilitatem Spiritum proprie non possidemus. Unimur enim cum ipso per *fidem* et *charitatem*; major autem harum charitas. Ubi enim cum fide charitas non est, quaecunque dona Spiritus sancti esse possunt; ipse vero Spiritus sanctus esse non potest; ac per hoc nihil prodest illorum donorum largitas, ubi sic aliquod donum Spiritus habetur, ut ipse Spiritus non habeatur [5]). *Charitate* vero nos in ipso vivimus, ipse in nobis regnat. Nam ipsa est gratiae sanctificantis effectus, nisi hanc in ea consistere dicere mavis, qua (ut forma quadam substantiali) animam Spiritus exornat, ut commercium cum ea familiare inire possit.

---

1) Serm. in Pentec. I. n. 5. cf. Epist. CVII. n. 5.

2) Primus gradus timoris disciplina, per quam ab injustitia abstinemus; alter spes, qua summum bonum desideramus, perfecta autem charitas, ut decet rationabiliter jam instruens. *Clem.* Strom. IV. p. 495. cf. Concil. Trident. sess. VI. c. VI.

3) Epist. V. n 3. (Gall. IV. p. 667.) cf. Ep. XVII. p. 687.

4) *Fulg.* ad Monim. lib. I. c. XVIII. p. 58.

5) *Fulg.* l. c. lib. II. c. IX. p. 84.

Alia praeterea sunt dona, quae semper sunt cum Spiritu, ut charitas et sapientia, alia, quae nunquam sunt cum ipso, ut timor servilis, alia, quae aliquando sunt cum Spiritu sancto, aliquando sine ipso, ut fides, prophetia et ejusmodi [1]).

Haec vero dona gratiae (quae quasi illuminatio est) lumina sunt, illuminantia eos, qui se participant; et omnis gratia ab uno fonte descendit et omnis illuminatio ab uno lumine: et multi sunt radii et unum lumen [2]). Quapropter Spiritus sanctus est donum, quo omnia dona scilicet gratuita donantur per concomitantiam, et quo omnia Dei dona donantur per exemplaritatis causam, perfectissimum enim bonum Deus, et in ipso omnia sunt per eminentiam [3]). Si enim advenit, qui infinitum gratiarum thesaurum possidet, locupletat animam dilectam tot bonis, quot recipere potest; quo humilior est, eo pluribus virtutibus et gratiis repletur; nam, qui inhabitat eam, potens est, supra omnem cogitationem vota animae exaudire [4]). Quam ob causam Spiritus gratiae nomine (πνεῦμα τῆς χάριτος) decoratur Hebr. X, 29. Is autem omnium Spiritus S. operationum finis, ut per Verbi incarnati et dati illuminationem et Spiritus Sancti spirati et donati inflammationem reducamur ad luminosi et amorosi Patris veram cogitationem et fervidam dilectionem et ex his ad ejus perfectam unionem. Ista enim unio est finis largitionis luminum, ut per eam reducamur ad patris deificam simplicitatem et perfectam unitatem [5]). Cum Spiritu enim et Filius et Pater in animam intrant, et tota Trinitas mansionem in ea sumit. Revelat enim Filius se ipsum, cui vult; revelat et Pater, revelat autem sine dubio per osculum, hoc est Spiritum sanctum. Et dando Spiritum, per quem revelat, etiam ipsum revelat, dando revelat et revelando dat [6]).

Postquam igitur per abstinentiam ad Spiritum pervenimus, humilitate uniti cum ipso sumus; pignus denique haereditatis nobis efficitur Eph. I, 3. II Cor. I, 21. 22., et pignus salutis Tit. III, 7. Rom. VIII, 23—26. et spem vitae infundit, quae non confundit, quia Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris Rom. V, 5. Tanta cum sint ipsius dona et praesentiae ubertas, intelligi potest celeber ille Apostoli locus Hebr. VI, 5—7.

«Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque venturi

1) S. *Bonavent.* in I. Sent. D. XVIII. a. 1. Q. I. Ordinem distributionis donorum profunda sapientia exposuit Taulerus Or. III. in Pentec. tom. II. p. 138. (ed. Francof. 1826.)

2) *Hugo Vict.* Annot. Elucid. in Dionys. Hierarch. l. II. c. I. p. 244.

3) S. *Bonavent.* l. c. *Alcuin.* de fid. lib. II. c. XXII. tom. I. p. 724.

4) Cf. *Origen.* in Epist. ad Rom. l. VI. n. 13. p. 592.

5) S. *Bonavent.* de sept. don. Sp. s. c. I. p. 226.

6) S. *Bernard.* in Cant. Cantic. Serm. VIII.

saeculi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, rursum crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei et ostensui habentes.»

Illis, quae hactenus de dono Spiritus diximus, collectis, perspicuum est, cur in antiquo Foedere non ita donatus sit, nec donari ita potuerit[1]). Cum filiis enim irae conjunctionem inire non potuit, quoniam inter dissimiles est amicitia nulla. In V. T. timor servilis; atqui *amore* nobiscum unitur. Si igitur aderat (et aderat sane), per operationem alicujus virtutis, vel fidei, tolerantiae etc. aderat, non per substantialem praesentiam totus (quamvis non totaliter) in toto homine[2]).

Hac praesentia nulla in Spiritum sanctum cadit vicissitudo. Sicut enim lux dupliciter potest considerari, ita etiam Spiritus sanctus, vel utpote est in se, et sic dicitur lux, vel prout est in extremitate diaphani terminati, et sic lux dicitur color, quoniam hypostasis coloris est lux et color nihil aliud est, nisi lux corporata. Spiritus sanctus igitur prout in se consideratur, Spiritus sanctus et Deus dicitur, sed prout consideratur ut existens in anima, quam movet ad actum charitatis, dicitur charitas[3]). Inquantum autem per amorem, qui est Spiritus sanctus, aliquod donum creaturae confertur, nulla mutatio vel variatio fit in ipso amore, sed in eo, cui per amorem aliquid datur, si tamen mutatio et non potius perfectio dici debet. Cum autem in acceptione donorum ipsius non solum relatio nostra terminetur ad dona, ut ipsa tantum habeamus, sed etiam ad Spiritum sanctum, quia aliter ipsum habemus, quam prius, non tantum dicuntur dona procedere in nos, sed etiam ipsemet. Secundum hoc enim ipse dicitur referri ad nos, secundum quod nos referimus in ipsum. Et ideo procedit ipse in nos et dona ipsius, quia et dona ejus recipimus et per eadem ad ipsum nos aliter habemus, in quantum per dona ejus ipsi Spiritui conjungimur, per dona nos sibi assimilanti[4]).

Verum non singuli solum Spiritu unimur et in Spiritu cum

---

1) Novi ab antiquo foedere discrepantia clarissime a Jerem. XXXI, 31—35. explicatur: Ecce dies venient, et feriam domui Israël et domui Juda foedus novum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum — sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos dixit Dominus: Dabo legem meam in *visceribus* eorum et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in populum. Et non *docebit* ultra vir proximum suum, dicens: Cognosce Dominum, omnes enim cognoscunt Me a minimo usque ad maximum sq.

2) De manifestatione Sp. in N. T. praeclare *Greg. Naz.* Or. XXXVII, cujus si veritatem et venustatem exhaurire vellemus, totam orationem describere oporteret. Cf. Or. XXXI. (theol. V.) n. 26. *Orig.* Hom. III. in Jes. Nav. n. 2. p. 403.

3) D. *Thom.* in I. Sentent. D. XVII. Q. I. a. 1.

4) D. *Thom.* l. c. D. XIV. Q. II. a. 1.

Patre conjungimur, sed ut omnia membra charitatis manente compage in unitate corporis perseverent, illius in nobis dono Spiritus efficitur, qui est unus Spiritus et Patris et Filii. Quia sancta naturalis unitas et aequalitas et charitas Trinitatis, quae unus solus et verus est Deus, unanimitate sanctificat, quos adoptat. In illa quippe una substantia Trinitatis unitas est in origine, aequalitas in prole, in charitate autem unitatis aequalitatisque communio, nulla est divisio illius unitatis, nulla diversitas illius aequalitatis, nullum fastidium illius charitatis. *Ibi* enim nihil discrepat, quia aequalitas chara et una, et unitas aequalis et chara et charitas aequalis atque una naturaliter et incommutabiliter perseverat[1]). Atque haec Patris et Filii et Spiritus sancti in Ecclesia habitatio non localis est, sed immensa, non comprehensibilis cogitatione, sed venerabilis fide. Inhabitat enim Trinitas in suis fidelibus sicut tota in singulis, sic tota in cunctis, quae nec coeli terraeque spatio distenditur, nec universae creaturae termino terminatur, nec per separatos homines et separata loca particulariter separatur[2]).

Jam Illius auxililo, de quo scripsimus, ad finem operis pervenimus; siquid contra S. Ecclesiae decreta et sententias diximus, inviti et inscii diximus, parati ea retractare; si quid bene et juste exposuimus, Deo debemus; et ad hunc liceat nobis cum Gersone [3]) preces effundere!

Veni rursus, o suavis et benigne Spiritus, et recrea spiritualem mundum in nobis; sicut septem diebus mundum corporalem instituisti. Dic primitus, ut fiat lux cognitionis et fidei, et fiet ad dissipandas tenebras, quae sunt super faciem abyssi, h. e. animae nostrae teterrimae; fiet deinde firmamentum bonae voluntatis, quod dividet aquas ab aquis i. e. affectiones superiores et spirituales a carnalibus et infimis. Dic praeterea, ut germinet terra conscientiae nostrae, quae inanis est et vacua et ferat plantas omnis generis virtuosarum inclinationum et herbam virentem cum floribus variis sanctarum affectionum et fructus bonorum operum secundum genus suum. Porro fiant luminaria magna in suo coelo: charitas ibi radiet, ut Sol; Fides, ut luna; Spes, ut lucifer, caeterae virtutes, ut stellae, beatitudines, ut planetae. Producantur insuper volitantes aviculae, quae sunt sancta desideria, alis contemplationum sublimata et suspensa. Reformetur dehinc anima ad imaginem et similitudinem beatissimae Trinitatis, ut tandem requiescat ab omni opere actuoso, et dicat cum Propheta: In pace in idipsum dormiam et requiescam. Ps. IV, 9.

---

1) *Fulg.* ad Monim. lib. I. c. XI. p. 86. 87.

2) Id. ad Trasim. Reg. lib. II. c. XIX. p. 175.

3) Serm. de Sp. S. ed. Dupin. tom. II. p. 37.